KEIL

EMENDATIONES VARRONIANAE

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXXXIII—MDCCCLXXXIV

A DIE XV. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXIII AD DIEM XV. M. MARTII A. MDCCCLXXXIV

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INSVNT

Henrici Keilii

EMENDATIONES VARRONIANAE.

HALAE

FORMIS HENDELIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR
ALFREDVS BORETIVS
CVM SENATV
S. D.
CIVIBVS SVIS.

Postquam nuper in Varronis rerum rusticarum libris codices quibus nunc utimur certo quodam genere vitiorum corruptos esse demonstravi, nunc eadem scribendi occasione denuo oblata alia et diversa scripturae vitia, quae emendatione egeant, in iisdem libris inesse nonnullis locis exempli causa propositis ostendam. quamquam enim Varronem neglegentiorem fuisse in verbis componendis scimus, multaque olim ab editoribus in hoc genere parum prudenter mutata sunt, cum non intellecto genere dicendi quo Varro uti consuevit ea quae memoriae prodita sunt temere corrigerent, tamen cavendum est ne manifesta orationis vitia, propterea quod consensu manu scriptorum librorum videntur confirmata esse, neglegentiae potius scriptoris quam errori librariorum tribuenda esse putemus. exempla autem eius rei, quae relicta esse ab editoribus video, ut in uno libro nunc disputationem contineam, ex secundo Varronis libro petivi, eaque non distinctis generibus vitiorum, sed ipsius libri ordinem secutus composui.

De libris manu scriptis, quibus usus sum, non repetam quae olim dixi, neque quae unius cuiusque codicis origo et fides sit nunc accuratius disputabo, quamquam quaedam rectius, quam olim constitui, iam definienda esse video. sed quoniam codicis Laurentiani 30, 10 saepius mentionem feci, nequis nimium eius codicis auctoritati tribuat, pauca de hoc praefari non inutile fuerit. nam recte Henricus Iordanus in ephemeride litteraria a. 1882 p. 1528 monuit diversam a reliquis eius codicis rationem esse. habet enim multa a reliquorum librorum lectionibus diversa et in his complura quae quin vera sint dubitari nequeat. haec igitur, si modo reliqui omnes inter se consentiunt, non ex antiquissimo archetypo servata, sed coniectura inventa esse dico. memorabilis autem illa discrepantia est propterea, quod in plurimis gravissimisque omnis generis vitiis scripturae, quibus codex depravatus est, tamen certa sunt antiquioris emendationis sive interpolationis vestigia, quae ex eo exemplari, ex quo ille descriptus erat, relicta sunt. cuius rei pauca exempla ex eodem secundo Varronis libro, in quo hanc disputationem subsistere volui, deprompta adscribam, in quibus praescriptis genuinis reliquorum librorum lectionibus adposui interpolationes Laurentiani codicis.

Praef. 6. *tibi Niger Turrani noster*] *tibi niger curaci mittere.* 1, 14 *prima aetas omnis pecoris et extrema sterilis*] *prima aetas omnis pectoris est sterilis.* 2, 4 *ex duabus rebus potest animaduerti*] *ex duabus oportet rebus animaduerti.* 2, 7. *de alteris quattuor rebus*] *de reliquis quattuor rebus.* 2, 17 *antequam exeant pastum et cum reuerterunt*] *antequam exeant in pastum et cum reuerse erunt.* 3, 1 *nouella enim quam uetus utilior*] *nouella enim quam uetus melior.* 3, 10 *cum in suburbano mille iugerum haberet — coegit mille caprarum*] *cum in suburbano haberet agrum scilicet iugerum mille — coegit mille caprarum gregem scilicet.* 4, 3 *gregem uult habere idoneum*] *gregem uult facere idoneum.* 5, 10 *in tracia*] *in arcadia.* 5, 12 *existimantur facilius macrae concipere*] *extimantur facilius nigre concipere et macre.* 5, 18 *apud eum duo tauri*] *apud eum scilicet magonem.* ib. *Lucienus*] *lucrecius.* 6, 2 *optimae elutae sunt in Sicilia*] *optimae elucescunt sicilia.* 6, 3 *eligendi et mas et femina*] *eligendi uero sunt et masculus et femina.* 7, 1 *uidemus*] *uidendum est.* 7, 6 *cum flumen trauehundum est*] *cum flumen traiciendum sit.* 7, 7 *arido feno*] *foeno sicco.* 7, 9 *dempsisset*] *deprehendisset.* 7, 13 *sed melius*] *sed potius et melius.* 9, 13 *consue quoque faciunt*] *consuefaciunt etiam.* ib. *fronde aut pabulo*] *fimo aut de pabulo.* 10, 2 *animo aequiore*] *animo quieto.* 10, 10 *ualitudinem*] *utilitatem.* 10, 11 *saepe*] *multociens.* facile augeri poterat numerus exemplorum vel ex hoc ipso libro vel ex reliquis duobus. sed ea quae adscripsi sufficere puto, ut, si leviora scripturae vitia, quae in ceteris inveniuntur, recte emendata sunt in Laurentiano, correctori tribuatur emendatio. postea vero Itali, qui in Varronis libris emendandis operam collocaverunt, in primis Iucundus Veronensis, qui plurima novavit, saepius interpolati codicis lectionibus usi sunt. quo factum est ut illae etiam in edita exemplaria propagarentur.

Praef. 4 *Alius enim opilio et arator. nec si possit in agro pasci, armentarius non aliud ac bubulcus. armentum enim id, quod in agro natum non creat, sed tollit dentibus. contra bos domitus causa fit, ut commodius nascatur frumentum in segete et pabulum in novali. alia, inquam ratio ac scientia coloni, alia pastoris. coloni, ut ea, quae in agricultura nascantur, e terra fructum faciant. contra pastoris, ut ea, quae nata ex pecore.* Ex Aldina editione haec repetivit Victorius praeter unum, quod ex manu scriptis libris mutavit, *alius enim opilio et arator*, ubi antea ex principe editione propagatum erat *alius enim opilio et alius arator.* sed graviora vitia emendanda reliquit. nam primum *possit* ex interpolata codicis Laurentiani 30, 10 scriptura receperat Iucundus, in quo non minus coniunctivus modus quam *pasci* per se positum suspicionem movere debebat. in bonis libris scriptum est *possunt*, quo recepto scribendum erat *nec si possunt in agro pasci armenta, armentarius non aliud ac bubulcus.* deinde in iis quae sequuntur, *coloni ut ea quae in agricultura* sqq., veterem scripturam ipse Victorius adnotavit, 'Receptam lectionem retinui, nunc ueterem hic adponam, quae a communi ualde diuersa est, pessime tamen et illa accepta: quod etiam diligens librarius cognouit, notam enim mendi ad eam adposuit: *Coloni aequae agricultura factum ut nascerentur e terra contra pastoris ea quae nata ex pecore.*' nota autem mendi, quae in codice Victorii adposita erat, ad unum v. *aequae* pertinere videtur: *aeq;* habent excerpta Politiani et codex Parisinus, *eaque* apographa Italorum. ex quibus nullo negotio genuina scriptura restitui poterat, *alia, inquam, ratio ac scientia coloni, alia pastoris: coloni ea quae agri cultura factum ut nascerentur e*

terra, contra pastoris ea quae nata ex pecore. nam brevitas dicendi, 'ea quae factum ut nascerentur' et 'ea quae nata' pro scientia eorum quae factum est ut nascerentur et eorum quae nata sunt, vix quemquam offendet. simile dicendi genus videtur restituendum esse in his, quae ipsa quoque in vulgatis exemplaribus graviter corrupta feruntur II 1, 21 de sanitate pecoris, *cuius scientiae genera duo: unum ut in hominem, ad quem adhibendi medici, alterum, quo ipse etiam pastor diligens mederi possit.* nam in codicibus haec ita scripta sunt, *cuius scientiae genera duo ut in hominem* (*in homine* cod. Laur. 51, 4) *unum ad quem adhibendi medici altera que ipse etiam fastor diligens mederi possit.* quae ita corrigo, *cuius scientiae genera duo, ut in homine, unum, ad quae adhibendi medici, alterum, quae ipse etiam pastor diligens mederi possit.* quamquam scribi poterat *unum ad quod* et *alterum quoi.*

1, 6 *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Graeca et Latina lingua et veteres poetae, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxe quaeritur, ut in Colchide Aeeta, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae, ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala, id est secundum antiquam consuetudinem capras et oves, quas Hercules ex Africa in Graeciam exportavit.* Adscripsi haec, ut legentibus appareret pravam et plane intolerabilem hanc esse verborum et sententiarum structuram, quam nimis patienter adhuc tulerunt editores, quamquam non video a quoquam perturbatum verborum ordinem explicatum esse. nam nihil egit Schneiderus, cum *ad* praepositionem ante Hesperidas deleret. rectius *quas* inclusit Gesnerus. sed vitii admonere debebat, quod pro *Aeeta*, quae est coniectura Iucundi, in codicibus scriptum est *actam.* idem ex suo codice adnotavit Politianus addita coniectura *Aeetan.* quare sicut postea scriptum est *in Libya* (*in libro* codices, correxit Merula), ita non dubito quin hoc loco scribendum sit *in Colchide ad Aeetam.* reliqua ex libris emendata et rectius distincta adscribam, *de antiquis inlustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit et graeca et latina lingua et veteres poetae, qui alios vocant polyarnas, alios polymelos, alios polybutas.* [*quod*] *ipsas* (*quin ipsas* coniecit Gesnerus, fortasse *ipsas quoque*) *pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt, ut Argis, Atreus quam sibi Thyesten subduxe queritur; ut in Colchide ad Aeetam, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae; ut in Libya ad Hesperidas, unde aurea mala, id est secundum antiquam consuetudinem capras et oves,* [*quas*] *Hercules ex Africa in Graeciam exportavit.*

Ib. 9 *Nomne in terris multa, ut oppidum in Graecia ἵππιον ἄργος? denique Italia a vitulis, ut scribit Piso. Romanorum vero populum a pastoribus esse ortum quis non dicit?* Scripta haec sunt de nominibus regionum a pecore sumptis. parum concinnam autem esse orationem etiam sine codicibus intellegi poterat. nam scribendum omnino *nomne in terris multa, ut oppidum in Graecia Hippion Argos? denique non Italia a vitulis?* quod confirmatur scriptura librorum *denique in italia*, ubi *in* expunctum est in Parisino codice, omissum in Laurentiano 30, 10, quem editores inde a principe editione secuti sunt.

Ib. 12. *Tertia pars est in pecuaria, quae non paratur, ut ex iis capiatur fructus, sed propter eam aut ex ea sint, muli, canes, pastores. harum*

unaquaeque in se generales partes habet novenas, quarum in pecore parando necessariae quatuor, alterae in pascendo totidem. praeterea communis una. ita fiunt omnes partes minimum octoginta et una, et quidem necessariae nec parvae. Ad tripertitam divisionem Varro subtiliter, ut solet, omnem rem pecuariam revocavit. cum tres constitueret partes generales, quarum una quaeque ternas haberet species, novem autem speciebus, quae inde efficiuntur, item novenas partes tribueret. quo fit ut numerus partium existat octoginta unius. ex tribus autem partibus generalibus tertiam voluit esse earum rerum, quae vel propter rem pecuariam parantur vel ex ea nascuntur: in priore genere posuit canes et pastores, qui pascendi causa parantur, in posteriore mulos ex equis et asinis, quos una cum bubus in secunda parte rei pecuariae posuerat, natos. sed ad hanc sententiam ut verba accommodentur, primum ex Parisino codice recipiendum est *quae non parantur* pro eo quod in reliquis legitur *quae non paratur*; deinde ea quae his opposita sunt, *ex ea sint*, ubi *exasint* est in Parisino codice, ad eandem normam corrigenda, *ex ea sunt* vel *ex ea fiunt*. nam non puto cuiquam probari contortam Gesneri interpretationem. qua ille vulgatam lectionem defendere conatus est, 'Non paratur haec pars, ut ex iis (quae partis nomine comprehenduntur, synesi non inusitata) capiatur fructus, sed (int. ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ut) propter eam (rem pecuariam) aut ex ea sint'. quae sequuntur in manu scriptis libris scripta sunt hoc modo, *horum unaquaeque in se generalis partis habet hominum nouenas.* nam errori tribuendum est Politiani, quod is v. *habet*, quod in principe editione omissum erat, ex codice non adscripsit. *harum* recte scripsit Iucundus. pro *hominum* in principe editione expressum erat *omnium*, quod Iucundo auctore Victorius omisit; potius scribendum esse *minimum* apparet ex iis quae mox de summa partium scripta sunt. *ita fiunt omnes partes minimum octoginta et una.* sed in his quoque parum certum est *omnes.* quod ex codice Laurentiano 30, 10 recepit Iucundus; in reliquis codicibus legitur *omnium.* neque reiciendum esse puto hunc genetivi usum, quamquam fieri potuit ut ex simili errore. atque eo quem supra notavi, scriptura librorum oreretur et una cum emendata lectione *minimum* in textu relinqueretur. itaque omnia sic scribo, *Tertia pars est in pecuaria quae non parantur, ut ex iis capiatur fructus, sed propter eam aut ex ea sunt. muli canes pastores. harum una quaeque in se generalis partis habet minimum novenas, quarum in pecore parando necessariae quattuor, alterae in pascendo totidem: praeterea communis una. ita fiunt omnium partes minimum octoginta et una, et quidem necessariae nec parvae.*

Ib. 15 *In emptione alias stipulandum statim esse e valetudinario, alias e sano pecore, alias e neutro.* Aldinae editionis haec lectio est longe diversa a scriptura librorum. *inemptionem (ineptionē* Paris.*) alias stipulandum statim esse alias e sano recore alias neutro.* unum in his recte vidit Ursinus, pro *statim* scribendum esse *sanum.* neque tamen ausus est verba a Iucundo temere addita *e valetudinario* removere, quamquam ea in codicibus non inveniri adnotaverat Victorius. his igitur eiectis facilis est reliquorum emendatio, *in emptione alias stipulandum sanum esse. alias e sano pecore. alias neutrum.*

Ib. 20 *Tertia res est de nutricatu quid observari oporteat, in quo quot diebus matris sugant mammam, et id quo tempore et ubi.* In his quoque Victorius Aldinam editionem expressit, quacum consentit codex Laurentianus 30, 10. nam in reliquis libris

primum *de* praepositio omissa est, deinde *qui obseruari* habet Parisinus codex, *qua obseruari* apographa Italorum, *quae obseruari* editio princeps, ubi *qua adseruari* adnotavit Politianus. ergo ita haec emendanda sunt, *tertia pars est in nutricatu quae observari oporteat.* ex quattuor enim partibus quae supra indicata erant, de pastione, de fetura, de nutricatu, de sanitate, iam ponitur tertia, qua continentur ea quae in nutricatu observari oportet. quapropter omnino *pars* scribendum erat, non *res.*

2, 11 *Circiter meridianos aestus, dum deferrescant, sub umbriferas rupes et arbores patulas subiiciunt, quoad refrigerato aere vespertino rursus pascant ad solis occasum. ita pascere pecus oportet, ut adverso sole agat. caput enim maxime ovis molle est. ab occasu parvo intervallo interposito ad bibendum appellunt et rursus pascunt, quoad contenebrarit.* Neque *subiciunt* recte dicitur de pastoribus greges sub umbram depellentibus, neque ea quae sequuntur *quoad — pascant* apte conexa sunt prioribus. apparet autem scribendum esse *subigunt,* sicut scriptum est II 4, 6 *pastum exigunt mane et, antequam aestus incipiat, subigunt in umbrosum locum.* in reliquis, quae sic ut vulgo feruntur ex principe editione propagata sunt, emendationem monstrat scriptura codicum', *quaad refrigeratu aere uespertino rursus pascunt.* unde profectus Schneiderus scripsit *quoad refrigeratur aer, et vespertino rursus pascunt.* sed ne haec quidem sufficere ipse significavit addita coniectura 'etsi malim legere *dein refrigerato aere, vespertino rursus pascunt*'. legendum potius *quaad refrigeratur: aere vespertino rursus pascunt.* nam *quaad refrigeratur* per se positum non minus recte dicitur, quam quod postea legitur *quaad contenebravit.* praeterea *averso sole*, quod res postulat, non *adverso sole,* quod ex principe editione receptum est, et boni libri exhibent et legit Plinius nat. hist. VIII 49, 199 *infirmissimum pecori caput, quam ob rem aversum a sole pasci cogendum.*

Ib. 18 *Pleraque similiter faciendum in ovibus pellitis, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae et Atticae, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit vel lavari ac parari. horum praesepia ac stabula ut sint pura, maiorem adhibeant diligentiam, quam hirtis. itaque faciunt lapide strata, ut urina necubi in stabulo consistat. his quaecumque iubentur vescuntur, ut folia ficulnea et palea et vinaceae, furfures obiiciuntur modice, ne parum aut nimium saturentur. utrumque enim ad corpus alendum inimicum. at maxime amicum cythisum et medica.* In priore parte eorum quae adscripsi leviora quaedam scripturae vitia ab editoribus partim ex auctoritate librorum, partim coniectura sublata sunt. nam pro *parari* Scaliger restituit *putari,* quod in omnibus codicibus legitur. *harum praesepia* Gesnero, ut videtur, auctore editum est a Bipontinis. *adhibent* recte scripsit Schneiderus. *ut urina* ex principe editione, quacum consentit codex Laurentianus 30, 10, receptum est: *et urina* habent boni codices, quod num defendi possit dubito. unum restat, quod suspicionem movere possit, quod minus commode interposita sunt verba *ut sunt Tarentinae et Atticae,* cum potius scribendum esset *in ovibus pellitis, ut sunt Tarentinae et Atticae, quae propter lanae bonitatem pellibus integuntur.* quamquam haud scio an Varroni haec neglegentia tribuenda sit. sed gravius corrupta sunt praecepta de pabulo ovibus dando, quorum causa haec posui: ea enim in codicibus scripta sunt ita, *his quaecumque iubentur uescuntur ut folia figulena et palea uinacea furfures obiciuntur modice.* parum recte Ursinus, ut perturbatum verborum

ordinem aliquo modo expediret, pronomen *his* non de ovibus, sed de praesepibus dictum esse adnotavit, quod Gesnerus et Schneiderus probaverunt. plane ineptum autem est illud *quaecumque iubentur*, quod certe de pabulo in praesepibus posito dici nequit. iustam autem sententiam et verborum conexum ita demum restituemus, si scribimus, *his quaecumque lubenter vescantur, ut folia ficulnea et palea, vinacea, furfures, obiciuntur modice, ne parum aut nimium saturentur: utrumque enim ad corpus alendum inimicum, ut maxime amicum cytisum et medica.* cf. II 7, 11 *quinquemestribus pullis factis, cum redacti sunt in stabulum, obiciendum farinam hordeaceam molitam cum furfuribus, et siquid aliud terra natum libenter edent.* pro *at maxime*, quod ex principe editione vulgatum erat, ex codibus restitui *ut maxime.*

3, 1 *Cui Cossinius, Quoniam satis balasti, inquit, o Faustule noster, accipe a me cum Homerico Melanthio chordo de capellis, et quemadmodum oporteat breviter dicere, disce.* Non multum tribuo consensui duorum bonorum codicum Parisini et Laurentiani 51, 4, qui pro *cum*, quod reliqui habent neque in principe editione Politianus mutavit, *con* exhibent, quoniam frequentem esse eum errorem constat. sed illud non puto dubitandum esse, quin *cum* praepositio locum non habeat. vidit hoc Robertus Ungerus de Cordo nomine disputans in libro de Valgio poeta p. 407, quamquam non probo quod ipse coniecit, *accipe a me ceu Homerico Melanthio exordium de capellis.* nam et *ceu* a Varronis usu alienum est nec apte interponitur *exordium.* non magis probari potest Scaligeri coniectura *condo* scribentis pro *cordo:* nam haec est constans librorum scriptura et in hoc loco et in reliquis, non *chordus.* videtur autem Varro, sicut Atticum, propterea quod de ovibus disputaverat, Faustulum appellavit, ita Cossinium, cui caprarum scientiam tribuit, ipsum Melanthium dixisse et graeco nomini iocose, ut solet, addidisse romanum. nam quoniam corda scimus dicta esse quaecumque sero nata sunt, unde appellati esse credebantur Cordi, poterat enim hoc nomine quasi Melanthium quendam sero natum significare hoc modo, *accipe a me nunc Homerico Melanthio Cordo de capellis, et quemadmodum breviter oporteat dicere disce.* ordinem verborum paullum mutavi fidem secutus librorum, *quemadmodum oportet breuiter oporteat dicere diste.*

4, 19 *A partu decem diebus proximis non producunt ex haris matrem, praeterquam potum. praeteritis decem diebus sinunt exire pastum in propinquum locum villae, ut crebro reditu lacte alere possit porcos. cum creverunt, cupiunt sequi matrem pastum, domique secernunt a matribus ac seorsum pascunt, ut desiderium ferre possint parentis, quod decem diebus assequantur.* Ineptam et intolerabilem hanc esse verborum coniunctionem, 'porci cupiunt sequi matrem pastum domique secernunt a matribus', apparet, praesertim cum accedat discrepantia manu scriptorum librorum et a Victorio olim adnotata et omnibus codicibus, qui nunc supersunt, confirmata. nam *cupiunt* Merulae coniecturae debetur, in manu scriptis libris legitur *capiuntur.* inanem autem operam in hac ipsa librorum lectione defendenda consumpserunt antiqui sermonis amatores, Scaliger, Turnebus advers. VIII 8, Fruterius coniect. veris. III 4, qui vulgata lectione impediti *capiuntur* eodem fere modo a Varrone dici potuisse sibi persuaserunt, ut impetus naturae vel libidinis significaretur, et contrario modo Pontedera antiq. lat. p. 427, qui illud interpretatus est 'impediuntur'. quid Varro scripserit, intellegitur ex iis quae praecedunt, *sinunt exire pastum*, vel certius ex his, II 6, 4 *secundum partum pullos anno non removent a matre, proximo anno noctibus*

patiuntur esse cum his. quare haud dubie restituendum est *cum creverunt, patiuntur sequi matrem pastum.* minus certum iudicium est de sequentibus, ubi haec adnotavit Victorius, 'in cunctis manu scriptis post *parentis* inveni *nutrices.* nec statuere potui, quid illa uox sibi uelit. an *nutricis* pro *parentis* aliqui legebant?' codices praebent *parentis nutrices*; sed in Parisino codice correctum est *-cis,* in Laurentiano 30, 10 scriptum *parentis nutricis,* quod quamquam coniecturae tribuendum est, tamen verum esse puto, neque quidquam probabilius disputationibus interpretum inventum esse video.

5, 1 *At Q. Lucienus senator, homo quamvis humanus ac iocosus, introiens familiaris omnium nostrum,* συνηπειρῶται, *inquit* χαίρετε *et Varronem nostrum, inquit,* ποιμένα λαῶν. *Scrofam enim mane salutavi.* Aposiopesin salutatoriam hanc esse voluit Gesnerus, et Varronem nostrum h. e. et Varronem nostrum saluto vel salvum esse iubeo. quod recte reiecit Schneiderus; tametsi non magis placere potest quod ipse Brenckmanno auctore commendavit, *en Varronem nostrum.* sed transpositione perturbata esse videntur verba, quae in suum ordinem ita restitui poterunt. *At Quintus Lucienus senator, homo quamvis humanus ac iocosus, introiens familiaris omnium nostrum, Synepirotae, inquit,* χαίρετε (*charete* codd.). *Scrofam enim et Varronem nostrum, inquit, poemena laon, mane salutavi.*

Ib. 18 *De sanitate sunt complura, quae exscripta de Magonis libris armentarium meum crebro ut aliquid legat curo.* De morbis sine medico a magistro pecoris curandis quid Varro praeceperit, discendum ex iis quae de eadem re aliis locis scripta sunt, II 7, 16 *de medicina vel plurima sunt in equis et signa morborum et genera curationum, quae pastorem scripta habere oportet,* II 10, 10, *quae ad valetudinem pertinent hominum ac pecoris, ut (et* codd.*) sine medico curari possint, magistrum scripta habere oportet.* ad horum igitur normam, ut apte procedat oratio, scribendum est *quae exscripta de Magonis libris armentarium meum habere, crebro ut aliquid legat, curo.*

8, 1 *Ex equa enim et asino fit mulus, contra ex equo et asina hinnus. uterque eorum ad usum utilis, partu fructus neuter. pullum asininum a partu recentem subiiciunt equae, cuius lacte ampliores fiunt, quod id lacte quam asininum ac alia omnia dicunt esse melius. praeterea educant eum paleis, foeno, ordeo.* Non fugerunt editores manifesta orationis vitia, quibus haec corrupta sunt. neque tamen ad emendationem quidquam prolatum esse video, quod probari possit. *ad usum utilis partu fructus neuter* ex Marciano codice edidit Victorius, quocum consentiunt excerpta Politiani et apographa. in Parisino codice *utilis* bis scriptum et post *fructus* addita erat *u* littera, *ad utilis usum utilis partu fructus u neuter;* sed utroque loco quae addita erant ab eodem librario, ut videtur, deleta sunt. in Laurentiano legitur *ad usum utilis partu fructus uenit uenter.* in principe editione editum erat *ad usum utilis, partu, fructus uenter,* ubi *partu, fructu, uentre* correxit Iucundus. a Victorii lectione profectus Ursinus legendum coniecit *ad usum utilis, ad fructum neuter,* Gesnerus *partus fructu neuter*, quod recepit Schneiderus, Pontedera l. c. p. 436 *partu, fructu neuter.* sed eorum omnium nihil est, quod aptam sententiam praebeat vel iustum verborum ordinem efficiat. nam hoc dicit Varro, mulos et hinnos ad usum rerum rusticarum utiles esse, sed partu pullorum fructum non praebere. itaque scribendum haud dubie *partu fructuosus neuter.* deinde *ac alia omnia* inepte interposita esse monuit Ursinus. sed ibi pro *ac,* quod ex principe editione propagatum

est, in codicibus legitur *at*, h. e. *ad*. quo restituto facilis est verborum emendatio, *uterque eorum ad usum utilis, partu fructuosus neuter. pullum asininum a partu recentem subiciunt equae, cuius lacte ampliores fiunt, quod id lacte, quam asininum ad alimonia dicunt esse melius.*

11, 2 De bonitate lactis, quam et a pastionibus et a pecudum natura et a mulctu definiri voluit Varro, leguntur haec, quae ex Aldina editione Victorius repetivit, *a mulgendo atque ortu optimum est id quod neque emunctum longe abest a mulso, neque a partu continuo est sumptum.* sed in his *emunctum* Iucundi coniecturae tribuendum est. nam in manu scriptis libris legitur *quod neque enim cum longe,* sicut olim adnotaverat Politianus. prava autem et artificiosa interpretatione usus Gesnerus vulgatam lectionem ita defendere studuit, ut emunctum lac esset 'vi expressum ex flaccidis, qualia sunt earum, quae diu pepererunt, uberibus', longe abesse autem a mulso diceretur illud quod 'ne dici quidem potest mulsum'. rectius Ursinus veram verborum sententiam aperuit, sed parum probabilem mutationem adhibuit, cum scribendum proponeret *optimum est id quod neque longe abest neque a partu continuo est mulctum,* quod probavit Schneiderus. ex scriptura autem codicum, quam supra posui, facile recuperari poterat genuina lectio, *a mulgendo atque ortu optimum est id quod neque nimium longe abest a mulso neque a partu continuo est sumptum.* nam mulsum Varro dicere videtur dulcissimum genus lactis, quod proximo post partum tempore mulgetur.

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, Dr.

I. Publice ex instituto Lentziano *1) Gnosticorum systemata* exponet d. Sat. h. XI–XII. *2) patrologiam* enarrabit d. Merc. et Sat. h. XII–I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiae partem priorem* enarrabit quinquies p. hebd. h. XI–XII. *2) indroductionem historicam criticam in libros Novi Testamenti* docebit quater p. hebd. h. XII–I.

III. Privatissime et gratis in seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderabitur.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.

I. Publice *Messiana Veteris Testamenti vaticinia* exponet d. Sat. h. II–III.

II. Privatim *1) genesin* interpretabitur quinquies p. hebd. h. II–III. *2) theologiam biblicam Veteris et Novi Testamenti* docebit sexies p. hebd. h. III–IV.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderari perget. Praeterea eiusdem sodalibus, qui ad *epigraphicen semiticam* incumbere cupiunt, inscriptiones interpretandas h. def. proponet.

IULIUS KOESTLIN, Dr.

I. Publice *Confessionem Augustanam* exponet d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim *1) Pauli ad Romanos epistolam* interpretabitur quinis p. hebd. scholis h. X–XI. *2) dogmatices partem alteram seu dogmaticam proprie dictam* docebit quinquies p. hebd. h. IX–X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *orationem Jesu montanam* interpretabitur d. Sat. h. XII–I.

II. Privatim *1) evangelia tria priora synoptice* explicabit quinis p. hebd. scholis h. XII–I. *2) theologiam biblicam Novi Testamenti* exponet quater p. hebd. h. X–XI.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Novi Testamenti et catecheticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, Dr., Decanus.

I. Publice *historiam artis hermeneuticae in Vetere Testamento factitatae* enarrabit d. Sat. h. III–IV.

II. Privatim *1) priorem Jesajani libri partem* (c. I–XXXIX) interpretabitur quinquies p. hebd. h. II–III. *2) introductionem in Veteris Testamenti* libros canonicos tradet quinquies p. hebd. h. III–IV.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget d. Iov. h. VI–VIII.

HERMANNUS HERING, Dr.

I. Publice *de institutis et societatibus caritatis christianae* disseret d. Iov. h. VI–VII.

II. Privatim *1) theologiae practicae partem alteram* tradet quinis p. hebd. scholis h. IV–V. *2) methodologiam et encyclopaediam studii theologici* docebit d. Lun. Mart. Merc. h. IX–X.

III. In seminario regio theologico *exercitationes homileticas* et proseminarium homileticum moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, Dr.

I. Publice *historiam scripturae sacrae post canonem constitutum* tradet binis horis d. Sat. h. VIII et h. XII.

II. Privatim *1) acta apostolorum quae in canone Nov. Testam. leguntur* enarrabit, accuratiore *de libri origine et fine inquisitione* praemissa d. Iov. Ven. Sat. h. IX–X. *2) Pauli epistolam ad Galatas scriptam* interpretabitur d. Lun. et Mart. h. IX–X. *3) Pauli epistolas ad Colossenses Ephesios Philemonem Philippenses missas* explicabit. uberiore expositione historica critica adiecta quater p. hebd. h. X–XI.

III. Privatissime et gratis *societatis exegeticae Novi Testamenti* exercitationes moderabitur d. Ven. h. VI vesp.

b. Professorum extraordinariorum.

GUSTAVUS KRAMER, Dr.

Superiorum permissu scholas non habebit.

PAULUS TSCHACKERT, Lic. theol. et Dr. phil.

I. Publice *historiam fidei christianae in Africa et in America propagatae* adumbrabit d. Sat. h. XI–XII.

II. Privatim *1) historiam ecclesiasticam recentioris temporis* (inde a reformatione ecclesiae usque ad nostra tempora) enarrabit quinquies p. hebd. h. XI–XII. *2) theologiam symbolicam* docebit quater p. hebd. h. VIII–IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderari perget d. Mart. h. VI–VIII.

c. Licentiati privatim docentis.

HERMANNUS FRANKE, Lic. theol.

I. Gratis *introductionem criticam in evangelium Ioannis* tradet d. Sat. h. X–XI.

II. Privatim *evangelium Ioannis* interpretabitur quater p. hebd. h. X-XI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes de Novo Testamento* moderabitur.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *ius familiarum commune Germanicum* exponet d. Merc. h. X–XI.

II. Privatim *1) pandectas* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–I et d. Merc. h. XII–I. *2) ius hereditarium Romanum* tradet d. Merc. h. XI–XII et d. Sat. h. XI–I.

ERNESTUS MEIER, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris publici et administrativi* moderabitur d. Sat. h. XI–XII.

II. Privatim *1) ius administrationis Borussicae* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X. *2) ius ecclesiasticum cum catholicorum tum protestantium* docebit d. Merc. et Sat. h. IX.–XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr., Rector.

I. Publice in seminario iuridico *speculum Saxonicum* interpretabitur d. Merc. h. XII–I.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* tradet quinis p. hebd. scholis h. XI–XII. *2) ius publicum tam imperii quam statuum Germanicum* docebit quaternis p. hebd. scholis h. XII–I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Publice *ius cambiale Germanicum* docebit d. Merc. h. X–XI.

II. Privatim *1) ius commerciale et maritimum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X–XI. *2) ius Borussicum privatum* tradet quinis p. hebd. scholis h. XI–XII.

ERNESTUS ZITELMANN, Dr., Decanus.

I. Publice in seminario iuridico *societati iuris Romani* praeerit d. Mart. h. VII–VIII.

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI–XII. *2) historiam iuris Romani* enarrabit d. Mart. Iov. Ven. h. X–XI. *3) exercitationes iuris Romani* instituet d. Lun. h. V–VII. *4) ius agrarium* tradet d. Lun. Ven. h. XII–I et d. Iov. h. II–III.

AEMILIUS BRUNNENMEISTER, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Ven. h. IV–VI.

II. Privatim *1) ius criminale* docebit d. Lun. Merc. h. IV–V et d. Mart. Iov. h. III–V. *2) processus summarios et processum concursus creditorum* tractabit d. Merc. et Sat. h. XII–I.

b. Professoris extraordinarii.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *de Romanorum ordine iudiciorum privatorum* disseret d. Merc. h. XI–XII.

II. Privatim *processum civilem imperii Germanici* tradet et *exercitationes conversatorias* moderabitur d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. V–VI.

c. Doctoris privatim docentis.

ADOLPHUS ARNDT, Dr.

I. Gratis *ius administrationis imperii Germanici* tradet d. Merc. h. V-VI.

II. Privatim *1) de iure processus criminalis* disseret quinquies p. hebd. h. def. *2)* exercitationes practicas *de iure publico et iure administrationis* habebit quater p. hebd. h. def.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr., Decanus.

I. Publice *artem formulas medicas scribendi* tradet d. Ven. et Sat. h. IX–X.

II. Privatim *pharmacologiam* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX–X.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *exercitationibus clinicis ambulatoriis* praeerit quotidie h. XII½–I½.

II. Privatim *1) scholas clinicas* habebit quotidie h. XI½–XII½. *2) scholas policlinicas* habebit quotidie h. def.

ROBERTUS OLSHAUSEN, Dr.

I. Publice *morbos ovariorum* docebit d. Iov. h. VI–VII.

II. Privatim *1) scholas clinicas gynaecologicas* habebit quotidie h. IX–X. *2) morbos mulierum* docebit d. Lun. Mart. Iov. h. V–VI.

THEODORUS ACKERMANN, Dr.

I. Publice *colloquia pathologica* instituet die Sat. h. XI–XII.

II. Privatim *anatomiam et histologiam pathologicam specialem* tradet d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IV–V. *2) demonstrationes anatomico-pathologicas et exercitationes in secandis hominum cadaveribus* moderabitur d. Mart. Iov. Sat. h. III–IV.

III. Privatissime peritioribus laborandi copiam in instituto pathologico quotidie dabit h. IX–I et h. III–VII.

HERMANNUS WELCKER, Dr.

Privatim *1) anatomiae partem priorem, osteologiam, syndesmologiam, myologiam et splanchnologiam,* docebit quinquies p. hebd. h. II–III½. *2) dissectionibus anatomicis,* quarum pars prior musculos et articulationes complectitur, pars secunda vasa nervos et viscera, una cum Dr. Solger praeerit quotidie h. IX–I.

RICARDUS VOLKMANN, Dr.

I. Publice *de ossium fracturis et luxationibus* disseret d. Lun. et Iov. h. VI–VII vespertin.

II. Privatim *scholis clinicis chirurgicis* praeesse perget quotidie h. X–XII.

IULIUS BERNSTEIN, Dr.

I. Publice *colloquia de rebus physiologicis* habebit d. Lun. h. IV–VI.

II. Privatim *1) physiologiae experimentalis partem de processibus vegetativis* docebit d. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. IX–X. *2) exercitationes physiologicas* bis p. hebd. h. IV–VI instituet.

III. Privatissime *disquisitiones physiologicas* in laboratorio physiologico quotidie moderabitur h. IX–I.

ALFREDUS GRAEFE, Dr.

I. Publice *de accommodationis et refractionis oculi humani vitiis* disseret d. Merc. h. V–VI.

II. Privatim *demonstrationes clinicas ophthalmiatricas* moderabitur d. Lun. et Iov. h. II–IV.

EDUARDUS HITZIG, Dr.

I. Publice *capita selecta pathologiae et therapiae cerebri* tradet h. def.

II. Privatim *psychiatriam* docebit et *scholas clinicas psychiatricas* habebit d. Merc. et Sat. h. II½–IV.

CAROLUS EBERTH, Dr.

I. Publice *selecta capita anatomiae* tractabit semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *1) anatomiam comparatam* docebit d. Lun. Mart. h. IV–V, d. Iov. h. IV–VI. *2) exercitationes practicas histologicas* offert d. Lun. et Merc. h. V–VII. *3) exercitationes histologicas* iis qui iam imbuti sunt scientia histologica accommodatas instituet h. def.

b. Professorum extraordinariorum.

HERMANNUS SCHWARTZE, Dr.

I. Publice *diagnosin morborum auris* docebit d. Iov. h. IV–V.

II. Privatim *demonstrationes clinicas otiatricas* moderabitur d. Mart. et Ven. h. IV–VI.

ERNESTUS KOHLSCHUETTER, Dr.

I. Publice *de balneotherapia* disseret d. Ven. h. XII–I.

II. Privatim *pathologiae et therapiae specialis partem primam* docebit d. Mart. Merc. Iov. h. XII–I.

ERICUS HARNACK, Dr.

I. Publice *de substantiis hominem incitantibus et delectantibus* (Kaffee, Alcohol, Tabak etc.) scholas habebit studiosis omnium disciplinarum accomodatas d. Sat. h. III–IV.

II. Privatim *pharmacologiam* docebit una cum experimentis ac demonstrationibus d. Lun. Mart. Iov. h. VI–VII d. Ven. h. III–IV.

III. Privatissime et gratis *colloquia de therapia* habebit d. Iov. h. VIII–IX vesp.

IV. Privatissime *1) exercitationes in arte formulas medicas scribendi* instituet d. Merc. h. VII–VIII vesp. *2) laborum in instituto* copiam dabit quotidie.

ADOLPHUS SEELIGMUELLER, Dr.

I. Gratis *de morborum cerebri localisatione* disseret d. Merc. h. VI–VII vesp.

II. Privatim *1) morbos cerebri* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. VI–VII vesp. *2) demonstrationes clinicas morborum systematis nervorum* moderari perget d. Merc. h. II½–IV½.

BERNHARDUS SOLGER, Dr.

I. Publice *de structura ovorum, de parablasto et de texturis, quae ex eo oriuntur,* disseret semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *anatomiam* organorum sensuum docebit d. Sat. h. II–IV.

c. Doctorum privatim docentium.

LUDOVICUS HOLLAENDER, Dr.

Privatim *1) morbos oris et dentium* docebit ter p. hebd. h. V–VI. *2) demonstrationibus clinicis ad dentium et oris morbos pertinentibus* praeerit quotidie h. VIII–IX.

RICARDUS POTT, Dr.

I. Gratis *de morbis congenitis* disseret semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *1) infantium et puerorum morbos* docebit d. Lun. et Iov. h. VIII–IX. *2) demonstrationibus policlinicis paediatricis* praeesse perget d. Mart. et Ven. h. II–IV.

ALFREDUS GENZMER, Dr.

Privatim *chirurgiam generalem* docebit d. Lun. Mart Iov. Ven. h. VI–VII.

BERNHARDUS KUESSNER, Dr.

Privatim *1) artem percutiendi et auscultandi* docebit d. Mart. Iov. Sat. h. VIII–IX. *2) pathologiam et therapiam specialem* tradet d. Lun. Merc. Ven. h. VIII–IX.

AEMILIUS SCHWARZ, Dr.

Privatim *1) operationes obstetricias* cum exercitationibus practicis phantomate adhibito instituet d. Merc. et Sat. h. IV–V. *2) artem obstetriciam theoreticam* docebit d. Lun. Mart. Ven. h. IV–V.

MAXIMILIANUS OBERST, Dr.

I. Gratis *de herniis abdominalibus* disseret semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *scholis clinicis chirurgicis propaedeuticis* praeerit ter p. hebd h. def.

HUGO HESSLER, Dr.

I. Gratis *anatomiam et physiologiam organorum auditus* docebit semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *selecta otologiae capita* exercitationibus practicis tradet ter p. hebd. h. def.

IV. Scholae Philosophorum.

a. Professorum ordinariorum.

AUGUSTUS ROSENBERGER, Dr.

I. Publice *1) astronomiam sphaericam et theoricam* exponet d. Lun. Mart. Iov. h. III–IV. *2) de interpolatione et integratione quadraturis mechanicis facta* disseret d. Ven. h. III–IV.

FRIDERICUS POTT, Dr.

I. Publice *1) Nalum, carmen Indicum,* ex ed. Boppiana interpretabitur d. Merc. et Sat. h. XI–XII. *2) introductionem generalem in linguarum studium* tradet d. Mart. et Ven. h. IV–V.

II. Privatim *linguas Gothicam et Theodiscam veterem cum Graeca atque Latina comparatas* docebit d. Mart. Merc. Ven. h. III–IV.

EDUARDUS ERDMANN, Dr.

I. Publice *introductionem in philosophiam* dabit semel p. hebd. d. Lun. h. IV–V.

II. Privatim *historiam philosophiae* docebit quinis p. hebd. lectionibus h. V–VI.

HERMANNUS KNOBLAUCH, Dr.

I. Publice *1) colloquia de rebus physicis* atque *seminarii physici exercitationes* moderari perget d. Merc. h. VI–VIII vesp. *2) demonstrationibus et exercitationibus in usu instrumentorum* horis commodis vacabit.

II. Privatim *physices partem priorem, mechanicam, acusticam, electricitatis et magnetismi doctrinam,* docebit experimentisque illustrabit quaternis p. hebd. scholis h. IX–X.

IULIUS ZACHER, Dr.

I. Publice capita selecta *grammaticae theodiscae* tractabit d. Merc. h. XII–I.

II. Privatim *mythologiam theodiscam* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII–I.

III. Privatissime et gratis *societatis Theodiscae bipartitae exercitationes* moderari perget d. Mart. et Ven. h. II–III.

HENRICUS KEIL, Dr.

I. Publice *1)* in seminario philologico *Horatii* carmina selecta interpretanda proponet d. Lun. h. VIII–IX. *2)* in proseminario philologico *scribendi disputandique exercitationes* moderabitur d. Iov. h. VIII–IX.

II. Privatim *1) artem metricam Graecorum et Romanorum* docebit quaternis p. hebd. scholis h. XI–XII. *2) Iuvenalis satiras selectas* interpretabitur *et historiam satirae Romanorum* tradet binis p. hebd. horis h. XI–XII.

III. Privatissime et gratis *societatem philologicam* moderabitur semel p. hebd. h. II–III.

HERMANNUS ULRICI, Dr., Decanus.

Publice *historiam philosophiae Kantianae* tradet singulis p. hebd. scholis d. Sat. h. XII–I.

IULIUS KUEHN, Dr.

I. Publice *1) introductionem in studium rerum oeconomicarum* (encyclopaediam et methodologiam) tradet d. Sat. h. X–XI. *2) exercitia seminarii scientiae naturalis applicatae* bis p. hebd. h. commod. moderabitur.

II. Privatim *1) agriculturam generalem* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII. *2) pecuariam rem* docebit d. Lun. Mart. Ven. h. IX–X.

III. Privatissime *exercitationes in laboratorio oeconomico-physiologico* instituet quinquies p. hebd. h. VIII–IV.

RICARDUS GOSCHE, Dr. phil. et Lic. theol.

I. Publice *de Ricardo Wagnero inprimis poeta et artis philosopho* disseret d. Ven. h VI–VII

II. Privatim *1) Coranum* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. V–VI. *2) Hamâsae carmina* explicabit d. Mart. et Ven. h. V–VI. *3) elementa linguae turcicae* docebit d. Merc. et Sat. h. XII–I. *4) historiam litterarum Germanicarum inde ab Opitio usque ad Gottschedium* enarrabit d. Lun. Mart. Iov. h. XI–XII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes historico-litterarias* instituet h. def.

ERNESTUS DUEMMLER, Dr.

I. Publice *de antiquissima Germanorum historia* disseret d. Merc. h. IX–X.

II. Privatim *historiam populi Romani inde ab urbe condita* enarrabit quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii historici* moderabitur d. Ven. h. VI–VIII.

RUDOLPHUS HAYM, Dr.

I. Publice *fabularum Romanensium apud nostrates historiam inde a Wielandio* enarrabit d. Lun. h. VI–VII.

II. Privatim *1) logicam* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. IV–V. *2) historiam philosophiae universam* quinis p. hebd. scholis enarrabit h. V–VI.

GREGORIUS KRAUS, Dr.

I. Publice *de plantis cryptogamicis* d. Mart. h. V–VI.

II. Privatim *pharmacognosiam* d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. XII–I docebit.

III. Privatissime *1)exercitationes phytotomicas* h. def. *2)* privatissime et gratis *seminarium botanicum* moderabitur.

IOANNES CONRAD, Dr.

I. Publice *oeconomiae politicae historiam* tradet semel p. hebd. d. Merc. h. IV–V.

II. Privatim *1) oeconomiae politicae primam partem* (Nationalökonomie) docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV–V. *2) de reditibus publicis* (Finanzwissenschaft) disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V–VI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii oeconomico-policiti et statistici* moderari perget.

GUSTAVUS DROYSEN, Dr.

I. Privatim *1) historiam populi Germanici usque ad reformationem sacrorum* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV–V. *2) historiam nostri temporis* (inde ab a. 1848) enarrabit d. Merc. et Iov. h. VI–VII.

II. Privatissime et gratis *1) exercitationes seminarii historici* moderari perget d. Mart. h. VI–VIII. *2) exercitationes ad artem recentiorem spectantes* instituet h. def.

ALFREDUS KIRCHHOFF, Dr.

I. Publice *1) de Herodoti geographia et ethnographia* disseret d. Merc. h. VI–VII. *2) exercitationes geographicas* moderari perget d. Ven. h. IV–V.

II. Privatim *Europam* describet (excepta Germania) d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III–IV.

III. Privatissime et gratis *repetitorium geographicum* habebit d. Ven. h. IV–V.

HERMANNUS GRENACHER, Dr.

I. Publice *de animalibus molluscis* binis p. hebd. scholis h. def. disseret.

II. Privatim *zoologiam i. e. systema et morphologiam animalium* scholis quotidianis tractabit h. XII–I.

EDUARDUS HILLER, Dr.

I. Publice *1)* in seminario philologico *Aeschyli Septem adversus Thebas* tractabit aliasque exercitationes moderabitur d. Merc. h. IX–X et d. Sat. h. X–XI.

II. Privatim *1) litterarum Graecarum, praecipue poesis historiam* inde a bellorum Persicorum tempore enarrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X. *2) Taciti annales* interpretabitur d. Merc. h. III–IV et d. Sat. h. IX–X.

GUILELMUS DITTENBERGER, Dr.

I. Publice *1)* in seminario regio philologico *scribendi et disputandi exercitationes* moderabitur d. Lun. h. III–IV. *2)* in proseminario philologico *Ovidii Fastos* interpretandos proponet d. Sat. h. X–XI.

II. Privatim *antiquitates publicas Graecorum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI.

HERMANNUS SUCHIER, Dr.

I. Publice adiutore Doctore Wardenburg *seminarii Romanici exercitationes* moderabitur bis p. hebd. h. def.

II. Privatim *historiam universam litterarum Francogallicarum* tradet sexies p. hebd. h. VIII–IX.

CAROLUS A FRITSCH, Dr.

I. Publice *de „vulcanis“* disseret d. Iov. h. VI–VII.

II. Privatim *1) palaeontologiam tractabit* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI. *2) lithologiam docebit, pedologiae fundamentum,* d. Mart. Merc. Iov. h. XII–I.

III. Privatissime *1) exercitationes mineralogicas, geognosticas, palaeontologicas* moderari perget quinquies p. hebd. h. IX–I et d. Mart. h. II–IV (una cum D. Luedecke). *2) seminarii regii mineralogici lucubrationibus* praeerit d. def.

CAROLUS ELZE, Dr.

I. Publice *exercitationes seminarii Anglici* moderabitur d. Merc. et Sat. h. IX–X.

II. Privatim *1) historiam litterarum Anglicarum* inde a restauratione regiae potestatis usque ad finem saec. XVIII enarrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X–XI. *2)* fabulam pseudo-Shakespearianam cui inscribitur *Fair Em* ex editione Warnkii et Proescholdti interpretabitur d. Merc. et Sat. h. X–XI.

IACOBUS VOLHARD, Dr.

I. Publice *analysin volumetricam* tractabit d. Lun. et Mart. h. XI–XII.

II. Privatim *chemiae experimentalis partem priorem* docebit sexies p. hebd. h. VIII–IX.

III. Privatissime *exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur una cum Prof. E. Schmidt d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX–XII et II–V.

GEORGIUS CANTOR, Dr.

I. Publice *theoriam determinantium* docebit d. Merc. h. XI–I.

II. Privatim *theoriam functionum ellipticarum* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII.

HENRICUS HEYDEMANN, Dr.

I. Publice *de Pompeiorum antiquitatibus* disseret d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatim *archaeologiae encyclopaediam* tractabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VIII–IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes archaeologicas* moderari perget d. Sat. h. II–IV.

ALBERTUS WANGERIN, Dr.

I. Publice *1) de superficiebus conformi modo in planitie repraesentandis* disseret semel p. hebd. h. def. *2) exercitationes seminarii mathematici* moderari perget binis p. hebd. scholis h. def.

II. Privatim *1) geometriam syntheticam* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X–XI. *2) mechanicen analyticam* docebit d. Merc. et Sat. h. IX–XI.

b. Professorum extraordinariorum.

HUGO EISENHART, Dr.

I. Publice *historiam oeconomiae nationalis* enarrabit d. Lun. et Merc. h. IV–V.

II. Privatim *doctrinam ad reditus publicos pertinentem* tradet d. Mart. Iov. Ven. h. IV–V.

GUSTAVUS HERTZBERG, Dr.

I. Publice *historiam* enarrabit *Romanorum et Germanorum* inde a Constantino Magno usque ad Alboinum, d. Mart. et Iov. h. XI–XII.

II. Privatim docebit *historiam imperii Byzantinorum* d. Lun. Mart. Merc. h. V–VI.

ERNESTUS TASCHENBERG, Dr.

I. Publice *de Coleopteris* disseret d. Merc. h. III–IV.

II. Privatim *entomologiam universalem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII.

III. Privatissime *exercitationes entomologicas* instituet d. Lun. h. II–IV.

CAROLUS FREYTAG, Dr.

I. Publice *supplementa doctrinae rei pecuariae* tradet d. Iov. h. III–IV.

II. Privatim *1) doctrinam de rerum rusticarum taxatione et calculatione* tradet d. Mart. et Ven. h. III–IV. *2) pecuariam rem specialem* docebit d. Mart. et Iov. h. XII–I d. Merc. h. X–XI.

MAXIMILIANUS MAERCKER, Dr.

I. Publice *excursiones technologicas* instituet d. Sat. h. III–VI.

II. Privatim *1) chemiae agriculturae partem priorem* docebit d. Merc. et Sat. h. XI–I. *2) technologiam hydratorum carbonis* tractabit d. Mart Iov. Ven. h. V–VI.

IULIUS WELLHAUSEN, Dr.

I. Publice *scriptores orientales* cum commilitonibus legere perget.

II. Privatim *1) librum Danielis* interpretabitur d. Merc. h. XII–I. *2) elementa historiae et litteraturae Arabicae* tradet quater p. hebd. h. XII–I.

ALBERTUS WUEST, Dr.

I. Publice *colloquia de rebus technicis et excursiones* instituet h. def.

II. Privatim *1) de machinis et instrumentis rei rusticae causa comparatis* disseret d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–IX. *2) artem campos exsiccandi ac prata constituendi et colendi* tradet d. Merc. et Sat. h. VIII–IX.

ALBERTUS LUDOVICUS EWALD, Dr.

I. Publice *historiam Hohenzollerorum* enarrabit semel p. hebd. h. VI–VII.

II. Privatim *1) historiam aevi recentioris universalem* inde ab anno 1650 docebit d. Merc. et Sat. h. X–XI. *2) disciplinae saltuariae posteriorem partem* tractabit d. Lun. et Merc. h. V–VI.

HERMANNUS PUETZ, Dr.

I. Publice *de morbis sporadicis animalium domesticorum* disseret d. Lun. h. III–IV.

II. Privatim *1) fundamenta zootomiae et zoophysiologiae* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X–XI. *2) de morbis contagiosis animalium respiciens zoonosos hominum* disseret d. Merc. et Sat. h. IX–X, d. Ven. h. XII–I.

III. Privatissime *demonstrationes clinicas et exercitationes diagnosticas in nosodochio veterinario una cum operationibus chirurgicis* moderabitur d. Sat. h. III–V.

GUILELMUS SCHUM, Dr.

I. Publice *res gestas Romanorum paparum inde a consilio Basiliensi* enarrabit d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim *1) historiam medii aevi* usque ad saeculum XII tradet d. Lun. Merc. Ven. h. X–XI. *2) medii aevi rem diplomaticam* docebit proponendisque diplomatis imperialibus et papalibus illustrabit d. Mart. Iov. Sat. h. X–XI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes palaeographicas* moderabitur d. Lun. VI–VIII.

ERNESTUS SCHMIDT, Dr.

I. Publice *de alcaloideis* disseret h. def.

II. Privatim *chemiae pharmaceuticae partem primam* docebit ter p. hebd. h. def.

III. Privatissime *exercitationes analyticas in laboratorio chemico* una cum Prof. Volhard moderabitur quinquies p. hebd. h. IX–XII et II–V.

ANTONIUS OBERBECK, Dr.

I. Publice *capita selecta electricitatis ad certas artes adhibendae* tradet d. Merc. h. XII–I.

II. Privatim *1) electricitatis et magnetismi theoriam* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII–I. *2) de quantitatibus physices definiendis et ad mensuram absolutam revocandis* disseret d. Sat. h. XII–I.

III. Privatissime *exercitationes in laboratorio physico* moderari perget quater p. hebd. h. def.

GUILELMUS KIRCHNER, Dr.

I. Publice *de lactis et butyri adulteratione et probatione* disseret d. Lun. h. VI–VII.

II. Privatim *de ratione lactis tractandi* disseret d. Mart. Iov. Ven. h. VI–VII.

III. Privatissime *demonstrationes et exercitationes in ratione lactis tractandi* habebit d. Sat. h. IX–XI.

AUGUSTUS KROHN, Dr.

I. Privatim *1) statum praesentem rei publicae et societatis* exponet d. Mart. Iov. Ven. h. III–IV. *2) Kantii librum Kritik der reinen Vernunft* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. IV–V. *3) de Dantii divina comoedia* disseret adiectis primae partis interpretatione d. Mart. et Ven. h. IV–V.

II. Privatissime et gratis *Aristotelis librum de anima* interpretandum proponet h. def.

GUSTAVUS GLOGAU, Dr.

I. Publice *Platonis Theaetetum* interpretabitur bis per hebd. h. def.

II. Privatim *psychologiam* docebit quinquies per hebd. h. VI–VII.

HUGO GERING, Dr.

I. Publice *historiam litterarum Anglosaxonicarum* enarrabit d. Merc. h. IX–X.

II. Privatim *grammaticam Anglosaxonicam* docebit *selectaque linguae Anglosaxonicae monumenta* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X.

III. Privatissime et gratis societatis theodiscae sodalibus carmina *Waltheri de Vogelweide* interpretanda proponet d. Merc. h. III $^{1}/_{2}$–IV $^{1}/_{2}$.

c. Doctorum privatim docentium.

SEBASTIANUS CORNELIUS, Dr.

I. Privatim *elementa mechanices et doctrinae machinarum* tradet d. Mart. et Ven. h. IX–X.

II. Privatissime et gratis *physicen molecularem* quae dicitur docebit d. Merc. h. X–XI.

DAVID BRAUNS, Dr.

I. Gratis *de orientalis Asiae ethnologia* disseret de Sat. h. XI–XII.

II. Privatim *1) geologiam* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII–I. *2) geologiam technice applicatam* tractabit d. Merc. et Sat. h. IV–V.

IOANNES SCHMIDT, Dr.

I. Privatim *de epica Graecorum poesi* disseret et *Homeri Iliadem* interpretabitur quaternis p. hebd. scholis h. VIII–IX.

II. Privatissime et gratis *1) exercitationes epigraphicas* moderabitur semel p. hebd. h. def. *2) latine scribendi exercitationes* instituet semel p. hebd. h. def.

OTTO LUEDECKE, Dr.

Privatim *1) mineralogiam* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII. *2) crystallographiam* tradet d. Lun. et Iov. h. IX–X.

CHRISTIANUS BARTHOLOMAE, Dr.

I. Gratis *1) grammaticae graecae partem priorem* (de sonis) enarrabit d. Mart. et Ven. h. IX–X. *2) exercitationes linguae Sanscritae* instituet (iis qui primum in id studium incumbunt) d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatim *grammaticam palaeoindicam* docebit d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. VIII–IX.

III. Privatissime *exercitationes palaeoindicas* moderabitur h. def.

OTTO TASCHENBERG, Dr.

I. Privatim *de animalibus parasiticis imprimisque de iis, quae in homine et in animalibus domesticis inveniuntur*, disseret d. Merc. et Sat. h. XI–XII.

II. Privatissime *exercitationes zootomicas tironibus accommodatas* instituet d. Sat. h. IX–XI.

EDUARDUS WILTHEISS, Dr.

I. Gratis exercitationes *in calculo differentiali et integrali* moderabitur bis p. hebd. h. def.

II. Privatim *calculum differentialem et integralem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII.

GEORGIUS BAUMERT, Dr.

I. Gratis *chemiae historiam* enarrabit semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *aromaticorum corporum chemiam* explicabit bis p. hebd. h. def.

HENRICUS A STEIN, Dr.

Privatim *Schopenhaueri doctrinam* tradet d. Merc. et Iov. h. VI–VII.

CAROLUS WENCK, Dr.

I. Gratis *historiam expeditionum in terram sacram* adumbrabit d. Lun. h. V–VI.

II. Privatim *historiam Germaniae inde a pace Westfalica usque ad medium saeculum XVIII* enarrabit d. Mart. Iov. Ven. h. VIII–IX.

III. Privatissime *exercitationes historicas* instituet d. Iov. h. VI–VIII.

RICARDUS LEHMANN, Dr.

I. Gratis *de regionibus arcticis et antarcticis* disseret d. Merc. h. V–VI.

II. Privatim *de adiumentis et methodo institutionis geographicae* disseret d. Lun. et Iov. h. V–VI.

CAROLUS IOANNES NEUMANN, Dr.

I. Gratis *de religione et ecclesia Christiana quid Graeci Romanique censuerint et Romanorum imperatores constituerint* exponet semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *de rerum Romanarum scriptoribus* disseret d. Mart. et Iov. h. VI–VII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderaturus *scriptores bellorum Mithradaticorum* proponet.

GUILELMUS ZOPF, Dr.

I. Privatim *1) plantarum anatomiam* demonstrationibus microscopicis coniunctis docebit d. Lun. et Merc. h. V–VII. *2) morphologiam et physiologiam fungorum* (bacteriorum, blastomycetum, mucedineorum) demonstrationibus microscopicis adiectis tradet d. Mart. h. III–V.

V. Scholae lectorum publicorum.

ROBERTUS FRANZ, Dr., Director musices.

I. Publice *harmonicen modorumque doctrinam* semel p. hebd. tradet.

II. Privatim *cursum practicum artis symphoniacae* semel p. hebd. instituendum offert.

OTTO REUBKE, artis musicae lector academicus.

I. Publice *historiam artis musicae* delineabit d. Merc. h. IV–V.

II. Privatim *theoriam artis compositionisque musicae* docebit bis p. hebd. h. def.

III. Privatissime et gratis *exercitationes societatis academicae cantandi causa institutae* diriget h. def.

CAROLUS AUE, Dr., linguae Anglicae magister academicus.

I. Privatim *1)* Dickensi narrationem cui inscriptum est *A Christmas Carol* interpretabitur semel p. hebd. h. def. *2) Schilleri belli tricennalis librum primum* in anglicum sermonem vertendum proponet d. Mart. et Ven. h. XI–XII.

II. Privatissime omnium ordinum studiosos *rudimenta linguae Anglicae* docebit et facilem scriptorem Anglicum cum auditoribus leget d. Mart. Iov. Ven. h. III–IV.

III. Privatissime et gratis *exercitationes in seminario Anglico* moderari perget d. Lun. et Iov. h. XI–XII.

BERNHARDUS WARDENBURG, Dr., linguae Francogallicae magister academicus.

I. Publice *de litteris Francogallicis* sermone disseret Francogallico d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim *syntaxin linguae Francogallicae* tractabit d. Merc. et Sat. h. XI–XII.

VI. Artium exercitia.

I. *Artem rudibus batuendi* profitetur Loebeling.

II. *Saltandi artem* monstrabit Rocco.

III. *Artem delineandi atque pingendi, artem delineandi praeparata microscopica* ad usum eorum qui studiis medicinae vel rerum naturalium incumbunt accommodatam h. def. privatim docebit H. Schenck.

IV. *Artem equitandi* docebit Schreiber.

VII. PUBLICA DOCENDI DISCENDIQUE SUBSIDIA.

I. *Bibliotheca academica* civibus universitatis patebit d Merc. et Sat. h. IX–XII et II–IV itemque d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–I. — *Bibliotheca usui studiosorum litterarum destinata* d. Mart. h. IX–X et d. Ven. h. II–III. — *Bibliotheca seminarii philologici* h. def. — *Bibliotheca seminarii paedagogici* h. def. — *Bibliotheca Hungarica* d. Merc. h. II–III. — *Bibliotheca iuridica* d. Mart. et Iov. h. II–IV. — *Bibliotheca academiae Leopoldinae Carolinae* d. Lun. et Iov. h. III–VI patebit.

II. *Apparatus palaeographo-diplomaticus*, cuius inspiciendi copiam faciet Schum d. Merc. h. IX–X.

III. *Museum monumentorum artis antiquae* d. Merc. et Sat. h. XI–XII inspiciendi copiam faciet Heydemann.

IV. *Collectionem imaginum aere incisarum* d. Iov. h. XI–I inspiciendi copiam faciet Ulrici.

V. *Specula astronomica* patebit praefecto Rosenberger.

VI. *Museum physicum.* Huic praeest Knoblauch.

VII. *Ergasterium physicum.* Huic praeest Oberbeck.

VIII. *Ergasterium chemicum.* Huic praeest Volhard.

IX. *Hortus botanicus* et *herbarium academicum.* His praeest Kraus.

X. *Museum mineralogicum* iis qui studiis mineralogicis iam operam dederunt d. Mart. h. II–IV aperiendum curabit a Fritsch.

XI. *Museum zoologicum* d. Merc. h. I–III aperiendum curabit Grenacher.

XII. *Theatrum anatomicum* et *musea* tam *anatomicum* quam *zootomicum*, quibus accedunt *Meckelii collectiones anatomicae.* His praesunt Welcker et Eberth.

XIII. *Nosocomia clinica* 1) medicum, 2) chirurgicum, 3) obstetricium. His praesunt Weber, Volkmann, Olshausen.

XIV. *Institutum pathologicum.* Huic praeest Ackermann.

XV. *Apparatus pharmacologici* inspiciendi copiam faciet d. Mart. h. IV–VI Harnack.

XVI. *Museum technologicum.* Huic praeest Knoblauch.

XVII. *Apparatus oeconomicus.* Huic praeest Kuehn.

XVIII. *Societatis Thuringo-Saxonicae* ad investigandas patriae antiquitates institutae apparatus et monumenta antiqua inspiciendi copiam faciet Duemmler.

VIII. SEMINARIA.

I. *Theologicum.* Exercitationibus exegeticis V. T. praeest Schlottmann, exegeticis N. T. Beyschlag, historicis Iacobi, systematicis Koestlin, homileticis Hering, catecheticis Beyschlag, proseminario homiletico Hering.

II. *Paedagogicum.*

III. *Iuridicum.* Hoc Meier, Boretius, Zitelmann, Brunnenmeister moderabuntur.

IV. *Philologicum.* Huic praesunt Keil, Hiller, Dittenberger.

V. *Romanicum.* Huic praeest Suchier.

VI. *Anglicum.* Huic praeest Elze.

VII. *Historicum.* Huic praesunt Duemmler et Droysen.

VIII. *Mathematicum omniumque disciplinarum physicarum.* Huic praesunt Rosenberger, Knoblauch, Volhard, Grenacher, Kuehn, Kraus, a Fritsch, Cantor, Wangerin.

IX. *Physiologicum.* Huic praeest Bernstein.

X. *Pharmaceuticum.*

XI. *Oeconomicum.* Huic praeest Kuehn.

XII. *Oeconomico-politicum.* Huic praeest Conrad.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VIII-IX.	**Tschackert** symbol. [4]. **Kaehler** hist. scriptur. scr. [1].	. . . .	**Hollaender** demonst. clin. odont. [6]. **Pott** morb. congen. [2]. **Idem** morb. infant. [2]. **Kuessner** auscult. et perc. [3]. **Idem** path. et therap. special. [3].	**Keil** sem. philol. [1]. **Idem** prosem. philol. [1]. **Suchier** hist. litter. Francog. [6]. **Volhard** chem. exper. part. prior. [6]. **Heydemann** Pompei. antiq. [1]. **Idem** archaeol. [5]. **Wuest** de mach. et instr. r. rust. c. comp. [4]. **Idem** art camp. exsicc. ac. prat. const. et col. [2]. **J. Schmidt** epica Graec. poes. et Hom. Il. [4]. **Idem** epigr. lat. [3]. **Bartholomae** exerc. sanscr. [1]. **Idem** gramm. ling. sanscr. [4]. **Wenck** hist. germ. saec. XVII et XVIII. [3].
VIII-IV.	. . . .	. . . .	. . . .	**Kuehn** exerc. in lab. oec.-phys. [5].
IX-X.	**Koestlin** dogmat. II. [5]. **Idem** confess. augustan. [1]. **Hering** encyc theol. [3]. **Kähler** act. ap. [3]. ep. ad Galat. [2].	**Meier** ius administr. Boruss. [4].	**Krahmer** pharmacol. [4]. **Idem** art. form. med. scrib. [2]. **Olshausen** schol. clin. gynaec. [6]. **Bernstein** phys. veg. [5].	**Knoblauch** phys. part. prior. [4]. **Kuehn** pec. rem [4]. **Duemmler** antiq. Germ. hist. [1]. **Idem** hist. pop. Rom. [4] **Hiller** sem. philol. [2]. **Idem** hist. litt. Graec. [4]. **Idem** Tacit. ann. [2]. **Elze** exerc. sem. Angl. [2]. **Puetz** de morb. contag. anim. [2]. **Schum** res gest. Rom. pap. [1]. **Gering** hist. litt. Anglos. [1]. **Idem** gramm. Anglos. [4]. **Cornelius** phys. molec. [1]. **Idem** elem. mech. et doctr. mach. [2]. **Luedecke** crystall. [1]. **Bartholomae** gram. graec. [2]. **Wardenburg** sem. francog. [1]. **Idem** de lit. francog. [1].
IX-XI.	. . . .	**Meier** ius eccl. [2].	. . . .	**Wangerin** mech. anal. [2]. **Kirchner** dem. et exerc. in rat. lact. tract. [1]. **Taschenberg II.** exerc. zootom. [1].
IX-XII.	. . . .	. . . .	. . . .	**Conrad** exerc. stat. [1]. **Volhard** exerc. pract. in labor. chem. [5]. **E. Schmidt** exerc. pract. in labor. chem. [5].
IX-I.	. . . .	. . . .	**Welcker** dissect. anatom. [6]. **Ackermann** exerc. in instit. pathol. [6]. **Bernstein** exercit. in instit. physiol. [6].	**a Fritsch** exerc. mineral. [5]. **Luedecke** exerc. mineral. [5].
X-XI.	**Koestlin** ep. ad Rom. [5] **Beyschlag** theol. bibl. N. T. [4]. **Kaehler** ep. ad Coloss. Eph. Philem. Philipp. [4]. **Franke** ev. Ioann. [4]. **Idem** introd. in ev. Ioan. [6].	**Fitting** ius famil. [1]. **Lastig** ius comm. [4]. **Idem** ius camb. [1]. **Zitelman** hist. iur. Rom. [3]. **Schollmeyer** ord. ind. Rom. [1].	. . . .	**Kuehn** introd. in stud. rer. oec. [1]. **Hiller** sem. philol. [1]. **Dittenberger** prosem. philol. [1]. **Idem** antiq. publ. Graec. [5]. **a Fritsch** palaeont. [5]. **Elze** hist. litt. Angl. [3]. **Idem** fab. Fair Em. [2]. **Wangerin** geom. synth. [4]. **Schum** hist. med. aev. [3]. **Idem** rem diplom. [3]. **Puetz** fund. zoot. et zoophys [4]. **Freytag** pec. rem spec. [1]. **Ewald** hist. aev. rec. [2].

HORA.	I. THEOLOGORUM	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
X-XII.	. . . .	. . . .	**Volkmann** schol. clin. chirurg. [6].	. . . .
XI-XII.	**Iacobi** hist. eccl. II. [5]. histor. Gnostic. [1]. **Tschackert** histor. eccl. III. [5]. **Idem** evang. propagat. [1].	**Fitting** ius heredit. Rom. [1]. **Meier** exerc. iur. publ. et admin. [1]. **Boretius** ius Germ. priv. [5]. **Lastig** ius Bor. priv. [5]. **Zitelmann** inst. iur. Rom. [4].	**Ackermann** colloquia pathol. [1].	**Pott** Nalas [2]. **Keil** art. metr. Graec. et Rom. [4]. **Idem** Iuven. sat. [2]. **Kuehn** agricult. gen. [4]. **Gosche** hist. litter. Germ. **Volhard** anal. vol. [2]. **Cantor** funct. ellipt. [4]. **Hertzberg** hist. Rom. et Germ. [2]. **Taschenberg** entom. univ. [4]. **Brauns** orient. As. part. ethnol. [1]. **Luedecke** Mineral. [3]. **Taschenberg II.** de anim. paras. [2]. **Wiltheiss** calc. diff. et int. [4]. **Aue** sem. angl. [2]. **Idem** Schill. bell. tricenn. anglice [2]. **Wardenburg** syntax. ling. francog. [2].
XI-I.	. . . .	**Fitting** pandect. [1]. **Idem** ius heredit. Rom. [1].	. . . .	**Cantor** theor. determ. [1]. **Maercker** chem. agr. part. prior. [2].
XI½-XII½.	. . . .	. . . .	**Weber** schol. clin. [6].	. . . .
XII-I.	**Iacobi** Patrolog. [2]. **Idem** introd. in N. T. [4]. **Beyschlag** orat. mont. [1]. **Idem** ev. tria priora [5]. **Kaehler** hist. script. sacr. [1].	**Fitting** pandect. [1]. **Boretius** ius publ. [4]. **Idem** spec. Sax. [1]. **Zitelmann** ius agr. [2]. **Brunnenmeister** processus summ. et proc. conc. cred. [2].	**Bernstein** colloquia physiol. [1]. **Kohlschütter** de balneotherap. [1]. path. et therap. spec. [3].	**Zacher** gramm. Theod. [1]. **Idem** mythol. Theod. [4]. **Ulrici** hist. philos. Kant. [1]. **Gosche** ling. Turc. [2]. **Kraus** pharmac. [4]. **Grenacher** zool. [6]. **a Fritsch** lithol. [3]. **Freytag** pec. rem spec. [2]. **Wellhausen** lib. Daniel. [2]. **Idem** hist. et litt. Arab. [4]. **Puetz** de morb. contag. animal. [1]. **Oberbeck** Cap. sel. elect. [1]. **Idem** de quantit. med. [1]. **Idem** theor. elect. et magn. [4]. **Brauns** geolog. [4].
XII½-I½.	. . . .	. . . .	**Weber** exercit. clin. ambulator. [6].	. . . .
II-III.	**Schlottmann** Genesis [5]. **Idem** Mess. V. T. vatic. [1]. **Riehm** Iesaia [5].	**Zitelmann** ius agrar. [1].	. . . .	**Zacher** soc. Theod. [2]. **Keil** soc. philol. [1].
II-III½.	. . . .	. . . .	**Welcker** osteol. syndesm. myol. et splanch. [5].	. . . .
II-IV.	. . . .	. . . .	**Graefe** demonstr. clin. ophthalm. [2]. **Solger** organ. sens. [1]. **Pott** dem. policl. [2]. **Oberst** schol. clin. chirurg. propaed. [3].	**a Fritsch** exerc. mineral. [1]. **Heydemann** exerc. archaeol. [1]. **Taschenberg** exerc. entom. [1].
II-V.	. . . .	. . . .	. . . .	**Volhard** exercit. pract. in labor. chem. [5]. **E. Schmidt** exercit. pract. in labor. chem. [5].
II½-IV.	. . . .	. . . .	**Hitzig** psychiatr. et schol. clin. psych. [2].	. . . .
II½-IV½.	. . . .	. . . .	**Seeligmüller** dem. clin. [1].	. . . .

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
III-IV.	**Schlottmann** Theol. bibl. V. et N. T. [6]. **Riehm** hist. art. herm. V. T. [1]. **Idem** Introd. in V. T. [5].	. . . .	**Ackermann** demon. anat. path. [3]. **Genzmer** chirurg. general. II. [2]. **Harnack** de subst. incitantib. [1]. **Idem** pharmacolog. [1].	**Rosenberger** astron. sphaer. [3]. **Idem** de interpol. et integr. [1]. **Pott** ling. compar. [3]. **Kirchhoff** Europ. desc. (exc. Germ.) [4]. **Hiller** Tacit. ann. [1]. **Dittenberger** sem. philol. [1]. **Taschenberg** ins. lep. [1]. **Freytag** suppl. doctr. rei pec. [1]. **Idem** doctr. de rer. rust. tax. et calcul. [2]. **Puetz** de morb. spor. an. dom. [1]. **Krohn** stat. reip. et soc. [3]. **Aue** rudim. ling. angl. [3].
III-V.	. . . .	**Brunnenmeister** ius crim. [2].	. . . .	**Puetz** demonstr. clin. et exerc. diagn. [1]. **Zopf** morph. et phys. fung. [1].
III-VI.	. . . .	. . . .	. . . .	**Maercker** excurs. technol. [1].
III-VII.	. . . .	. . . .	**Ackermann** exercit. in instit. pathol. [6].	. . . .
III½-IV½.	. . . .	. . . .	. . . .	**Gering** soc. Theod. [1]
IV-V.	**Hering** theol. pract. II. [5].	**Brunnenmeister** ius crim. [2].	**Ackermann** anat. path spec. [5]. **Eberth** anat. comparat. [2]. **Schwartze** diagnos. morb. auris [1]. **Schwarz** operat. obstetr. [2]. **Idem** theor. art. obstetr. [3].	**Pott** Introd. in linguar. stud. [2]. **Erdmann** in philos. introd. [1]. **Haym** log. [3]. **Conrad** oec. pol. hist. [1]. **Idem** oec. pol. prim. part. [4]. **Droysen** hist. german. [4]. **Kirchhoff** exerc. geogr. [1]. **Idem** repet. geogr. [1]. **Eisenhart** hist. oec-nat. [1]. **Idem** doctr. ad red. publ. pert. [3]. **Krohn** Kant. Krit. d. r. Vern. [2]. **Idem** Dant. div. com. [2]. **Brauns** geolog. techn. appl. [2].
IV-VI.	. . . .	**Brunnenmeister** exercitat. iur. crim. [1].	**Bernstein** exerc. phys. [2]. **Eberth** anat. compar. [1]. **Schwartze** dem. clin. otiatr. [2].	. . . .
V-VI.	. . . .	**Schollmeyer** proc. civ. [4]. **Arndt** ius imp. adm. [1].	**Olshausen** morb. ovar. [1]. **Idem** morb. mul. [3]. **Graefe** vit. acomm. [1]. **Harnack** demonstr. pharmac. experimental. [1]. **Hollaender** morb. oris et dent. [3].	**Erdmann** histor. philos. [5]. **Gosche** cor. interpr. [2]. **Idem** Hamâs carm. [2]. **Haym** hist. philos. univ. [5]. **Kraus** de plant. crypt. [1]. **Conrad** de red. publ. [4]. **Hertzberg** hist. imp. Byzant. [3]. **Maercker** technol. hydr. carb. [3]. **Ewald** discipl. salt. post. p. [2]. **Wenck** hist. exp. in terr. sac. [1]. **Lehmann** de adium. et meth. instit. geogr. [2]. **Idem** de region. arct. et antarct. [1].
V-VII.	. . . .	**Zitelmann** exerc. iur. Rom. [1].	**Eberth** exerc. histol. pract. [2].	**Zopf** anat. plant. [2].
VI-VII.	**Hering** institut. caritat. chr. [1].	. . . .	**Volkmann** oss. fract. [2]. **Harnack** pharmacolog. [3]. **Seeligmüller** morb. cerebr. localis. [1]. **Idem** morb. cerebri [3]. **Genzmer** chir. gener. [4].	**Gosche** Ric. Wagner poet. et art. phil. [1]. **Haym** fabul. Romanens. hist. [1]. **Droysen** hist. nostr. temp. [2]. **Kirchhoff** Herod. geogr. [1]. **a Fritsch** de vulcanis [1]. **Ewald** hist. Hohenz. [1]. **Kirchner** lact et but. adult. et prob. [1]. **Idem** de rat. lact. tract. [3]. **Glogau** psychol. [5]. **Taschenberg II.** cap. ex biol. anim. sel. [1]. **a Stein** Schopenh. doctr. [2]. **Neumann** de script. rer. Rom. [2].

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VI-VIII.	**Riehm** soc. V. T. [2]. **Kähler** exercit. exeg. [2]. **Tschackert** exercit. histor. [2].	. . . .	. . . .	**Knoblauch** colloq. de reb. phys. atque sem. phys. exerc. [1]. **Duemmler** exerc sem. hist. [1]. **Conrad** sem. oec.-pol. [1]. **Droysen** exerc. sem. [1]. **Schum** exerc. palaeogr. [1]. **Wenck** exerc. hist. [1]
VII-VIII.	. . . .	**Zitelmann** soc. iuris Romani [1].	**Harnack** medicam. ordin. [1].	. . . .
VIII-IX.	. . . .	. . . .	**Harnack** colloq. therap. [1].	. . . .

HORIS DEFINIENDIS.

SCHOLAE THEOLOGORUM.	SCHOLAE IURISCONSULTORUM.	SCHOLAE MEDICORUM.	SCHOLAE PHILOSOPHORUM.
Kaehler societat. exeget. **Franke** exercit. exeget.	**Arndt** de iur. proc. crim. [5]. **Idem** exerc. pract. de iur. publ. et iur. admin. [4].	**Weber** schol. policlin. [6]. **Hitzig** sel. cap. path. cer. [1]. **Eberth** sel. cap. anatom. [1]. **Harnack** labor. in instituto (quotid.) **Solger** struct. ovor. [1]. **Oberst** hern. abdom. [1]. **Idem** Scholae clin. chir. propaed. [3]. **Hessler** anat. organ. audit. [1]. **Idem** exerc. otolog. [3].	**Rosenberger** exerc. sem. math. [1]. **Knoblauch** demonstr. et exercit. in usu instr. **Kuehn** exerc. sem. scient. nat. [2]. **Gosche** exerc. hist. litter. **Kraus** exerc. phyt. **Idem** sem. bot. **Droysen** exerc. ad art. rec. **Grenacher** anim. mollusc. [2]. **Suchier et Wardenburg** Sem. Roman. [2]. **a Fritsch** sem. miner. **Wangerin** de superf. repraes. [1]. **Idem** exerc. sem. math. **Wellhausen** script. orient. **Wuest** colloq. de reb techn. et exc. **E. Schmidt** chem. pharm. [3]. **Idem** de alcaloideis. **Oberbeck** exerc. in laborat. phys. [4]. **Krohn** Aristot. de anima **Glogau** Plat. Theaet. **J. Schmidt** exerc. ep. [1]. **Idem** lat. scrib. exerc. [1]. **Bartholomae** exercit. ved. [2]. **Wiltheiss** exerc. in calc. diff. et int. [2]. **Baumert** chem. hist. [1]. **Idem** chem. corp. aromat. [2]. **Neumann** exerc. hist. **Idem** de relig. et eccl. Christ. [1]. **Aue** Dick. Christm. Carol. [1].

Index domorum, in quibus habitandi copia a civibus huius urbis facta est commilitonibus, cum pretiis habitationum apud actuarium universitatis O. Nittritz in aedibus administrationi rerum academicarum destinatis inspici potest.

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA HALENSI
CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXXIV

A DIE XVI. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INEST

HENRICI KEILII EMENDATIONVM VARRONIANARVM PARS II.

HALAE

FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

RECTOR

ALFREDVS BORETIVS

CVM SENATV

S. D.

CIVIBVS SVIS.

Emendationibus Varronianis, quas superiore anno his academicarum scholarum indicibus prooemii loco praemisi, nunc denuo ad hoc officium vocatus alias quasdam emendationes ad eosdem rerum rusticarum libros, quos tum tractabam, pertinentes addam. sed quoniam in archetypo codice, quo ii libri memoriae proditi sunt, praeter graviora scripturae vitia, quibus ille depravatus erat, multa etiam singulis litteris errore librarii mutatis vel temere omissis vel additis corrupta erant, in his levioribus vitiis corrigendis nunc operam meam continebo. nam ut facilior esse solet veri inventio in his in quibus una littera mutata vel addita vel omissa id quod verum esse arbitramur restituimus, quam in illis quae graviora remedia requirunt, ita pleraque in hoc genere ad persuadendum aptiora sunt, quam in illo, vel etiam, siquis recte perspexerit, quid sententia verborum postulet, vel usum sermonis noverit, sua sponte se offerunt. quare omissis nunc illis gravioribus, quae uberiorem artis ostentandae copiam praebent, in his levioribus quae dixi acquiescam. partem autem emendationum, quas exempli causa ex hoc genere proposui, certam esse puto neque dubitavi eas in ipsam recensionem horum librorum, qua lectionem ad fidem manu scriptorum codicum exegi, recipere, in reliquis satis habebo, si probabilia videbuntur quae disputavi.

I 10, 2 *Iugeri pars minima dicitur scripulum, id est decem pedes in longitudinem et latitudinem quadratum. ab hoc principio mensores nonnumquam dicunt in subsicivum esse unciam agri aut sextantem aut quid aliud, cum ad iugerum pervenerunt. id habet scripula CCLXXXVIII, quantum as antiquus noster ante bellum Punicum pendebat.* Ex Aldina editione receptum est *aut quid aliud* pro eo quod in manu scriptis libris et in principe editione legitur, *si quid aliud*, in uno Parisino codice *si quis aliud*. ad quam lectionem ut propius accederet, Hultschius metrolog. script. v. II p. 52 scripsit *seu quid aliud*, alieno a vetere sermone *seu* particulae usu. scribendum erat potius *sic quid aliud*. nam hac formula uti consuevit Varro. exempla ex libris de lingua latina collecta indicavit Spengelius emendat. Varron. spec. I p. 16. ex rerum rusticarum libris, in quibus saepe eodem dicendi genere usus est, unum exemplum adscribam, in quo bis similiter *sic* particula posita est, sed altero loco prava verborum distinctione obscurata, I 23, 4 *idoneus*

locus eligendus. ubi facias salictum et arundinetum, sic alia, quae humidum locum quaerunt. contra, ubi segetes frumentarias, ibi fabam potissimum seras. item alia, quae arida loca sequuntur sicut umbrosis locis alia seras, ut corruda. quod ita petit asparagus, et apricis, ut ibi seras violam et hortos facias, quod ea sole nutricantur. sic alia et alio loco, serunda ut habeas vimina, unde viendo quid facias. ut sirpeas vallos, crates. alio loco ut seras ac colas siluam caeduam, alio ubi aucupare. nam rectius haec ita legenda esse puto, ut utroque loco formula *sic alia* ad ea quae praecedunt referatur. deinde vero excidisse videtur verbum, quo illud quod viminum causa serendum est accuratius, sicut res postulat, indicatum erat. hoc igitur restituto, quamquam incertum est, quid Varro scripserit, reliqua ad fidem codicum emendata ita scribo, *idoneus locus eligendus, ubi facias salictum et harundinetum, sic alia quae umidum locum quaerunt: contra ubi segetes frumentarias, ubi fabam potissimum seras, item alia quae arida loca secuntur, sic ut umbrosis locis alia seras, ut corrudam* (*alta seras ut corruda* codices), *quod ita petit asparagus; aprica* (fortasse *aprica quae sunt*) *ut ibi seras violam et hortos facias, quod ea sole nutricantur, sic alia, et alio loco* (fortasse *et alio loco, salicta*) *serenda, ut habeas vimina, unde viendo* (*unde utendo .l.* codices) *quid facias, ut sirpeas, vallus, crates* sqq. in priore parte distinctionem verborum sic, ut modo scripsi, mutavit Hugo Reiter quaest. Varron. gram. p. 29. ceterum in eo loco quem supra scripsi *quod habet iugerum* pro vulgato *id habet* ex manu scriptis libris Hultschius restituit.

I 22, 1 *De reliquo instrumento muto, in quo sunt corbulae et dolia, sic alia, haec praecipienda, quae nasci in fundo ac fieri a domesticis poterunt, eorum ne quid ematur, ut fere sunt quae ex viminibus et materia rustica fiunt, ut corbes, fiscinae, tribula, mallei, rastelli, sic quae fiunt de cannabi, lino, iunco, palma, scirpo, ut funes, restes, tegetes.* Primum ut formulae, de qua modo dixi, sua ratio constet, deleta *et* particula, quae non est in codicibus, *corbulae dolia* scribendum est. *corbulae et dolia et alia* ediderat Merula; *sic* ex suis libris restituit Victorius. deinde non est cur dubitetur quin recte ex viminibus et materia rustica fieri dicantur instrumenta, quamquam Schneiderus, ut certa species significaretur, *ruscaria* pro *rustica* scribendum coniecit. nam rustica materia dicitur omne genus lignorum, quae in fundo nata, non aliunde illata sunt, ex quibus varia instrumenta ad agri culturam paranda esse Varro praecipit, neque poterat in his unum ruscum, quod in paucis adhibetur, appellare. sed nimis patienter editores tulerunt inter reliqua instrumenta rustica appellari malleos, postquam in principe editione *mallei* editum est pro eo quod in manu scriptis libris legitur *malli*. nam quamvis malleorum aliquem usum esse in rustico opere sciamus, tamen inter rustica instrumenta illi poni non poterant, quippe qui fabrorum potius sint, quam agricolarum, et fabrilibus ministeriis tribuuntur a Plinio n. h. XVI 230. hoc loco autem quid desideretur, perspicitur ex iis quae de viminibus scripta sunt infra c. 23, 5, de quibus modo dixi, *ut habeas vimina, unde viendo quid facias, ut sirpeas vallus crates.* apparet igitur hic quoque a Varrone vallos appellatos esse, non malleos, *corbes fiscinae tribula valli rastelli.* vallos autem utroque loco, ni fallor, dixit non palos, quibus quid alligatur et confirmatur, sed genus instrumenti rustici, cuius usum descripsit infra c. 52, 2, *e spica exteruntur grana: iis tritis oportet e terra subiectari vallis aut ventilabris, cum ventus spirat lenis:* item Festus p. 375, 10 auctore, ut videtur, Varrone, *valvoli fabae folliculi appellati sunt, quasi vallivoli, quia vallo iacti excutiantur.* nam ita haec scribenda puto; *vallo facti excutiantur* est in codice, quod vario modo

aviris doctis correctum est. eodem pertinent quae ad Verg. georg. I 166 *nec mystica vannus Iacchi* adnotata sunt in commentariis Servii, quae sic, ut nunc feruntur, corrupta adscribam (nam emendatio verborum a manu scriptorum librorum scriptura expectanda est). *id est cribrum areale. legitur tamen et vallus secundum Varronem, hanc fisticula pollio mysta vallus, quod idem nihilo minus significat:* et in excerptis Capri de verbis dubiis p. 112, 2 *vallus haec, qua frumentum excutitur.* et in commentario de dubiis nominibus gramm. lat. v. V p. 592, 24 *vallus in qua frumentum excutitur generis feminini. ut Virgilius nunc mystica vallus.* neque diversa ab hoc vocabuli usu sunt quae de vallis in messibus faciendis adhibitis Plinius narrat n. h. XVIII 296, *messis ipsius ratio varia. Galliarum latifundiis valli praegrandes dentibus in margine infestis duabus rotis per segetem inpelluntur iumento in contrarium iuncto. ita dereptae in vallum cadunt spicae.* nam non recte Corssenus de v. vallus et vallum disputans Beitr. z. lat. Formenl. p. 320 parum perspecta Plinii descriptione haec de vallo qui est palus interpretatus est. praeterea vallus de genere quodam tegularum dictum legitur apud Catonem de locatione villae c. 14, 4, *tegula integra quae erit, quae non erit, unde quarta pars aberit, duae pro una, conliciares quae erunt pro binis putabuntur; vallus quot erunt, in singulas quaternae numerabuntur.* ad quod genus locationis vel ad ipsa Catonis verba referenda sunt quae Servius in Verg. georg. I 264 memoriae prodidit, *Aelius Gallus de verbis ad ius civile pertinentibus vallos tegulas grandes, quae supra collicias infimae ponuntur, appellat.* poterant autem ita dici tegulae a similitudine formae vallorum. haec composui, quo certius de usu vocabuli constaret. sed si vera sunt quae manu scriptorum librorum fidem secutus supra scripsi, Cato et uno loco Varro *vallus* dixerunt plurali numero, *vallos* et ipse Varro duobus locis et reliqui. neque mutavi eam inaequabilitatem declinationis in vocabulo incertae originis, quamquam a vanno deminutive dictum esse vallum vulgo creditur. denique, si fides habenda est codicibus, *vallus* novo modo dictum de equis legitur apud Varronem rer. rust. II 7, 4 *forma esse oportet magnitudine modica, quod nec vallos nec minutos decet esse,* ubi *castos* inde a principe editione vulgo receptum est.

I 29, 1. *In primo intervallo inter favonium et aequinoctium vernum haec fieri oportet. seminaria omne genus ut serantur, putari inprimis, circum vites ablaqueari, radices quae in summa terra sunt praecidi, prata purgari, salicta seri, segetes sarire.* Corrupta haec esse intellectum est, postquam Victorius adnotavit in manu scriptis libris non *putari in primis*, sicut Merula ediderat, sed *putari in pratis* legi, idque libris qui nunc supersunt confirmatum est. neque tamen quidquam ad ea verba probabiliter emendanda inventum esse video. *putari vipretas* vel potius verbis transpositis *putari, circum vites ablaqueari, vipretas, radices quae in summa terra sunt, praecidi* coniecit Scaliger, *putari in paratis* Popma, quorum neutrum probari potest. nam Scaliger inani prisci sermonis adfectatione ductus est, cum vipretas de vepribus dictum esse putaret, et multa ille in hoc genere prisci sermonis, cuius nimium studiosus erat, parum feliciter in his libris temptavit. praeterea transpositione verborum adhibita iustum rerum ordinem prorsus perturbavit. in Popmae autem coniectura quae sint *parata* vel quo modo eo nomine significari possint vineae, sicut ille voluit, nemo intellegit. non magis apte Schneiderus, cum non perspecta fide lectionis antiquissimis editionibus, sicut facere consuevit, aliquam auctoritatem tribueret. vulgatam inde a principe editione lectionem retinuit eamque ita interpretatus est, ut vinearum vel seminariorum putatio intellegeretur. nam quamquam verum est putationem

quae dicitur fieri in vineis et in arbustis, non in pratis, tamen illud ipsum per se dici non poterat *putari in primis.* quare nisi lacuna corrupta esse verba existimabimus, ut et illud quod putari oportet et id quod fieri in pratis iubetur exciderit, omnino alienum ab hoc loco est putandi verbum. videtur autem Varro hoc loco idem praecepisse, cuius postea de lunaribus diebus praecipiens c. 37, 5 eodem anni tempore mentionem fecit, *item praeparatio siquae fit in pratis, id est ut defendantur a pastione, quod fere observant a piro florente;* et similiter Columella item de eodem tempore praecipiens XI 2, 27 *prata purgare et a pecore defendere iam tempestivum est.* ac ne illud quidem obstare huic rationi puto, quod in praeceptis de secundo intervallo c. 30 legitur *prata defendi*, quae ipsa est pars istius praeparationis. itaque si hoc sequimur, scribendum est *praeparari in pratis.* ut in his *prae* praepositionem, quae quidem facile ante sequentem *p* litteram excidere poterat, addidi. ita ab initio deleta *in* praepositione legendum videtur *primo intervallo.* nam ita in reliquis septem intervallis non addita praepositione locutus est Varro.

I 30, 1 *Secundo intervallo inter vernum aequinoctium et vergiliarum exortum haec fieri. segetes runcari, herbam e segetibus expurgari, boves terram proscindere, salicem caedi, prata defendi.* Ursinum secuti Gesnerus et Schneiderus v. *herbam e segetibus expurgari* tam quam postea adscripta deleverunt, parum probabiliter, ut mihi videtur. nam saepius in his libris vocabulis rusticis adscriptae sunt explicationes, quae quamvis speciem interpolationis prae se ferant, tamen a Varronis ratione alienum non est ut ipsum putemus vocabula a communi sermone remota addita interpretatione accuratius explicavisse. velut in proximis c. 31 leguntur haec, *vineas novellas fodere aut arare et postea occare, id est comminuere, ne sit glaeba. quod ita occidunt, occare dictum.* ad hunc modum igitur hoc quoque loco addita *·i·* littera, h. e. *id est*, scribendum *runcari, id est herbam e segetibus expurgari.*

I 37, 5 *Quaedam si bubus et aratro prosciderís, et iterandum, antequam semen iactes.* Non *iactes*, quod in expressis inde a principe editione exemplaribus legitur, in manu scriptis libris scriptum est, sed *iactas*, quod et faciliore et aptiore coniectura, quam qua Merula usus erat, corrigitur, dum scribimus *iacias*. idem vitium in libris invenitur c. 42 *in iugerum unum, si est natura temperata terra, scribunt opus esse medicae sesquimodium. id seritur ita, ut semen iactatur, quem ad modum l cum pabulum et frumentum seritur.* ubi Gesnerus, qui de superiore loco nihil monuerat, adnotavit 'vel *iactetur* reponendum videri potest vel *iaciatur*.' scribendum autem haud dubie *iaciatur*. nam consuetum hoc verbum de seminibus spargendis, ut iaci dicantur, non iactari. *l* litteram autem ante *cum* scriptam, pro qua *scilicet* ediderat Merula, pro nota illa, quae saepius Varronis verbis interposita est, habendam esse Victorius adnotavit. sed de hac quid sentiam, alio loco dicam. nunc illud ipsum quod sequitur *cum* haud scio an una cum interposita *l* littera ab errore librarii repetendum sit, ut scribatur, *id seritur ita, ut semen iaciatur, quem ad modum pabulum et frumentum seritur.*

In tertio rerum rusticarum libro sermones finguntur habiti in villa publica in campo Martio. de qua villa haec secum loquentes inducuntur Appius et Axius III. 2, 4, *et cum haec sit communis universi populi, illa solius tua. haec quo succedant e campo cives et reliqui omnes, illa quo equae et asini. praeterea cum ad rem publicam administrandam haec sit utilis, ubi cohortes ad delectum consuli adductae considant, ubi arma ostendant, ubi censores censu admittant populum: tua, inquit, haec in campo Martio*

extremo utilis et non deliciis sumptuosior, quam omnes omnium Reatinae tum et oblita tabulis est pictis, nec minus signis ornata. at mea vestigium ubi sit nullum Lysippi aut Antiphili, sed crebra satoris et pastoris. Ita haec Victorius Aldinam et Iuntinam editionem secutus edidit. sed primum non puto dubitari posse quin pro eo quod in libris manu scriptis et impressis legitur, *reliqui omnes*, scribendum sit *reliqui homines.* dicit enim haec Appius de villa publica cum villa Reatina Axii iocose comparata. itaque ut in alteram equae et asini introeant, ita in alteram homines succedere dicit. deinde ea quae Axius ad haec respondet in codicibus ita scripta sunt, *tua inquit scilicet auxius haec in campo martio extremo utilis et non deliciis sumptuosior quam omnes omnium universae reatinae tum enim oblitae tabulis pictis nec minus signis ad mea* sqq. unde verba, quae in editionibus manifesto corrupta sunt, iam facili emendatione adhibita in hunc modum restituuntur, *tua scilicet, inquit Axius, haec in campo Martio extremo utilis et non deliciis sumptuosior, quam omnes omnium universae Reatinae? tua enim oblita est tabulis pictis nec minus signis: at mea, vestigium ubi sit nullum Lysippi aut Antiphili, sed crebra sartoris et pastoris.* pro *tum enim oblitae* scripsi *tua enim oblita est:* nam ad villam publicam haec pertinent, reliqua ad Reatinam villam Axii. *sartorem* autem, hoc est qui sarit, ex manu scriptis libris recepi; et restituenda eadem vox I, 29, 2 *per sartores occare* et apud Columellam saepius *sartor* et *sartio* II 11 et 12. XI 3, 35.

III 3, 9 *In tertia parti quis habebat piscinam, nisi dulcem et in ea dumtaxat squalos ac mugiles pisces? quis contra nunc Rhinton non dicit sua nihil interesse, utrum iis piscibus stagnum habeat plenum an ranis?* In tertia parte earum rerum quae in villa circumve eam ali ac pasci possunt Varro posuit pisces. luxuria igitur quae tum erat cum simplici ratione antiquioris aetatis comparata vulgare genus piscium, quod apud maiores in piscinis haberi solebat, iam contemni dicit ab omnibus. sed in his ineptum est Rhinthonis nomen, neque opus est repetere quae de eo commentus est Gesnerus, ut hominem mollem et delicatum hoc nomine significari probaret. nam sciendum est ne auctoritate quidem manu scriptorum librorum nomen Rhinthonis confirmatum esse, sed coniectura invectum Merulae. in codicibus enim pro eo legitur *mithon.* emendatio autem petenda est a Columella, qui Varronis verba exscripsit VIII 16, 4 *itaque Terentius Varro, nullus est, inquit, hoc saeculo nebullus ac mintho, qui non dicat nihil sua interesse, utrum eius modi piscibus an ranis frequens habeat vivarium.* nam ita haec in Sangermanensi codice scripta sunt; *nebulo ac rhinthon* ibi quoque ex principe editione receptum est. latinum vocabulum *nebulo* Columella non a Varrone petivisse, sed ipse addidisse videtur. neque enim video cur illud ab interprete potius, sicut Schneiderus adnotavit, quam ab ipso Columella additum esse credamus. huic vero in Philoxeni qui dicitur glossis apud Vulcanium p. 142 adscriptum est graecum nomen μάλθων, *nebulo* μάλθων ὁ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγών, εἰκαῖος [λάθρα] ἄσωτος. et facile hac ipsa interpretatione in eam opinionem aliquis adduci poterit, ut idem nomen et apud Columellam, qui cum latino nomine graecum composuit, et apud Varronem, quem ille secutus erat, restituendum esse existimet. Lucilium quoque similiter dixisse *maltam* scimus auctore Nonio p. 37, 8, *maltas veteres molles appellari voluerunt a graeco quasi malacus: Lucilius lib. XXVII insanum vocant, quem maltam ac feminam dici vident.* eadem igitur significatione *malthon* a Varrone dici poterat. vereor tamen ne non satis probabile esse videatur pari modo et in Varronis et in Columellae libris in eodem vocabulo a librariis erratum esse. quare potius de illo ipso quod in Sangermanensi codice

scriptum esse dixi, *minthon*, videndum est. nam sicut μάλθων a μάλθα dictum est, ita a μίνθα dici potuit μίνθων. et inventum est id nomen, cuius antea apud graecos scriptores mentionem fieri non video, nuper in Philodemi libro περὶ κακιῶν f. 21. ibi leguntur haec, quae ex editione Sauppii p. 30 adscribam. καὶ βρενθύεσθαι δὲ καὶ βρενθυόμενον ὠνόμαζον καὶ ἔτι νῦν ὀνομάζουσιν, εἴτ᾽ ἀπὸ τοῦ παραδεδομένου θυμιάματος ἢ μύρου τῶν θεῶν βρενθύος, ὡς καθ᾽ ἡμᾶς καὶ μίνθωνας ἀπὸ τῆς μίνθης, εἴτ᾽ ἀφ᾽ ὁτουδήποτε, τὸν ἀπὸ τῆς εἰρημένης διαθέσεως κατεμβλέποντα πᾶσι καὶ παρεμβλέποντα καὶ τῇ κεφαλῇ κατασείοντα καὶ κατασμικρίζοντα τοὺς ἀπαντῶντας ἢ τοὺς ὧν ἄν τις μνημονεύσῃ, κἂν ὦσι τῶν μεγάλων εἶναι δοκούντων, μετὰ διασυρμοῦ καὶ μόλις που βραχείας ἀποκρίσεως, ὑπεροχὴν ἰδίαν ἐμφαινούσης, ἄλλου δ᾽ οὐδενὸς ἄρα λόγον ἐμποιούσης. mintham autem esse genus herbae, quod vulgo apud Graecos propter suavitatem odoris ἡδύοσμος, latine menta dicebatur, notum est. alia et diversa de v. μίνθα et μίνθος tradita sunt in scholiis ad Aristophanis versum Plut. 311 μινθώσομεν θ᾽ ὥσπερ τράγου τὴν ῥῖνα et ab Hesychio, μίνθα τὸ ἡδύοσμον καὶ ἀνθρωπεία κόπρος. itaque cum μίνθων haud dubie diverso modo dici potuerit, quod genus odoris Philodemus significaverit vel qui homines μίνθωνες dicti fuerint, nescimus. sed si Varro eo loco quem dixi hoc nomine usus est, non incommode huc videntur referenda esse quae Plinius narrat n. h. XIX. 159, *mentae nomen suavitas odoris apud Graecos mutavit, cum ante mintha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinavere. nunc autem coepit dici* ἡδύοσμον. *grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus.* hunc igitur odorem rusticarum epularum irridens Varro, cum minthones diceret qui eum odorem redolebant, luxuriam et fastidia hominum vulgares pisces inepte respuentium videtur notavisse.

III 10, 6 *Pullis primum biduo polenta aut hordeum apponitur, tribus proximis nasturtium viride consectum minutatim ex aqua in vas aliquod. cum autem sunt inclusi in haras aut speluncas, ut dixi, victui obiiciunt his polentam hordeaceam aut farraginem herbamve teneram aliquam concisam.* De pullis anserum alendis haec scripta sunt. mirum autem est de veritate lectionis editoribus suspicionem non movisse quod a Politiano e Florentino codice adnotatum indicavit Gesnerus, *vicini* pro *victui*, praesertim cum illud ipsum quod vulgo legitur, *victui obiiciunt*, quam insolenter dictum sit, neminem fugere possit. inventum autem est illud, sicut alia multa quae nunc vulgo in his libris feruntur, coniectura Iucundi Veronensis, qui Aldinae editioni praefuit. nam in principe editione et in iis editionibus, quae ex illa ante Aldinam expressae erant, legebatur *in cibum obiiciunt*. Iucundus autem coniecturam, qua priscam lectionem mutavit, ex scriptura codicis Laurentiani 30, 10 *victu obiciunt* petiverat. reliqui enim libri qui nunc supersunt, sicut ipse Politiani codex exhibent *uicini obiciunt*. hoc igitur cum in Laurentiano libro neglegentia librarii corruptum esset, Iucundus eam corruptelam secutus et insuper lectione exemplorum ante impressorum in errorem inductus, facili sane coniectura adhibita pro *uictu* scripsit *uictui*. et saepius hoc factum est, ut lectiones Laurentiani codicis, qui non solum plurimis scribendi vitiis corruptus, sed etiam multis et manifestis interpolationibus, sicut olim dixi, depravatus est, a Iucundo in Aldinam editionem reciperentur, ex qua eae primum in Iuntina editione plerumque expressae, deinde etiam a Victorio, nisi quidem is germanam lectionem ex antiquissimo codice restituit, receptae et ad reliquas editiones propagatae sunt. hoc loco autem quid Varro scripsisset, facile cognosci poterat ex eo ipso quod additum est, *ut dixi*. spectat enim hoc ad ea quae supra c. 10, 4 scripta sunt, *deinde cotidie, serenum cum*

est, producunt in prata, item piscinas aut paludes, iisque faciunt haras supra terram aut suptos, in quae non induceant plus vicenos pullos. ex quibus una littera mutata genuina scriptura restituitur. *cum autem sunt inclusi in haras aut speluncas, ut dixi, viceni, obiciunt iis polentam.*

III 13, 2 *Ego vero, inquit ille, apud Q. Hortensium cum in agro Laurenti essem, ibi istuc magis τραγικῶς fieri vidi. nam silva erat, ut dicebat, supra quinquaginta iugera maceria septa, quod non leporarium, sed θηροτροφεῖον appellabat. ibi erat locus excelsus, ubi triclinio posito coenabamus. Quintus Orphea vocari iussit. qui cum eo venisset cum stola et cithara et cantare esset iussus, buccinam inflavit, ubi tanta circumfluxit nos cervorum aprorum et ceterarum quadrupedum multitudo, ut non minus formosum mihi visum sit spectaculum, quam in circo maximo aedilium sine africanis bestiis cum fiunt venationes.* Plura in his verbis, quae sic, ut ex Aldina editione expressa vulgo feruntur, adscripsi, corrupta esse et lectiones manu scriptorum librorum et sententia atque conexus verborum docent. et primum quidem ineptum est *magis τραγικῶς fieri vidi.* narratur enim apros et reliquas bestias, quae in leporariis pasci solerent, bucina inflata solere ad pabulum convenire. cuius rei primum exemplum allatum erat ex fundo Tusculano, quem a M. Pupio Pisone Varro emerat, deinde aliud additur de fundo Q. Hortensii in agro Laurenti, in quo illud splendidiore apparatu inter cenam addito etiam cantu citharae factum esse dicitur. in hac igitur descriptione tragicae artis locum non esse apparet. sed in manu scriptis libris hoc ita scriptum est, *magistraicos fieri vidi.* quod ut de Thracibus potius quam de tragicis interpretemur admonet nomen Orphei, quod postea appellatum est. nam postquam cantor stola ornatus et cithara canens (nam *cithara cantare*, non *cithara et cantare* legitur in codicibus) prodiisset, bucina inflata ad pastum ferae convocantur. quae cum quasi Orphea quendam secutae cantu et sono chordarum viderentur delectari, Thracum modo illud spectaculum ab Hortensio institutum esse dicitur. itaque non *magis tragicos*, sicut Merula coniecerat, sed *magis tracicos* scriptum erat. deinde Hortensius in narratione rei non poterat solo praenomine Quintus appellari. neque codicum ea scriptura est, sed coniectura Iucundi Veronensis. nam in codicibus pro eo legitur *quod*, in uno Laurentiano interpolato *quasi*. Merula ediderat *apud quod;* huic in Aldina editione substitutum est *Quintus*. facili autem emendatione adhibita scribendum est *quo*. minus certa est emendatio eorum quae sequuntur, quae in codicibus ita scripta sunt, *bucina inflavit ut tantum circumfluxerit nos cervorum aprorum et ceterarum quadripedum multitudo ut non minus formosum* sqq. nam coniecturae tribuendum est quod in uno Laurentiano legitur, *ubi tantum circumfluxit.* Scaliger, ut codicum scripturam *ut tantum* defenderet v. *multitudo* delevit. mihi probabilius esse visum est ut deleta in priore loco *ut* coniunctione scribatur *tanta tum circumfluxit*. hac igitur coniectura, quamvis incerta sit, recepta reliqua ad fidem codicum ita scribo, *ego vero, inquit ille, apud Q. Hortensium cum in agro Laurenti essem, ibi istuc magis θρᾳκικῶς fieri vidi. nam silva erat, ut dicebat, supra quinquaginta iugerum maceria saepta, quod non leporarium, sed therotrophium appellabat* (*appellabant* codices). *ibi erat locus excelsus, ubi tricilinio posito cenabamus, quo Orphea vocari iussit. qui cum eo venisset cum stola et cithara cantare esset iussus, bucina inflavit. tanta tum circumfluxit nos cervorum, aprorum et ceterarum quadripedum multitudo, ut non minus formosum mihi visum sit spectaculum, quam in circo maximo aedilium sine africanis bestiis cum fiunt venationes.* de *tricilinio*, quam formam ex manu scriptis

libris restitui, nota est Ritschelii disputatio opusc. v. II p. 477. 504 sqq. in Varronis autem libris complura ex hoc genere inveniuntur, quae ubi consensu codicum confirmata sunt, non muto, ut *giminasium* I 55, 4, at *gymnasia* II praef. 2, et *menaechimis* II 4, 16.

Similis emendatio atque ea qua modo usus sum, ut *quo* pro *quod* scribatur, adhibenda est his quae de apibus scripta sunt III 16, 6, *itaque his unctus qui accessit, pungunt: non, ut muscae, ligurriunt. quod nemo has videt, ut illas, in carne aut sanguine aut adipe. ideo modo considunt, in quo est sapor dulcis.* nam inepte dictum est *quod nemo has videt in carne,* sive ad ea quae praecedunt refertur sive ad ea quae sequuntur. *iustus* sententiarum ordo postulat ut *quo* scribatur, h. e. quo fit ut nemo videat. nam hac ratione Varro non minus in relativo pronomine quam in demonstrativo, de quo illud post disputationem Handii Tursell. v. II p. 410 a grammaticis adnotari solet, usus est. in proximis verbis quid sententia postularet, olim perspexit Schoettgenus, cum *in eo modo* scribendum coniceret. meliora tamen docent manu scripti libri, in quibus haec ita scripta leguntur, *ideo modo considunt in quorum sapor dulcis.* itaque viam scriptura librorum monstratam secutus omnia iam sic scribenda esse puto, *itaque iis unctus qui accessit, pungunt, non, ut muscae, ligurriunt. quo nemo has videt, ut illas, in carne aut sanguine aut adipe: in eis modo considunt, quorum sapor dulcis.*

Ib. 33 in favis ex alvis eximendis similem rationem commendat Varro atque in segetibus faciendis, *ut in aratis qui faciunt restibiles segetes, plus tollunt frumenti ex intervallis, sic in alvis, si non quotannis eximas aut non quoque multum, et magis his assiduas habeas apes et magis fructuosas.* restibiles segetes dicuntur quae quotannis non intermisso quiescendi tempore in agris fiunt: cf. Varr. de ling. lat. V 39 *ager restibilis qui restituitur ac reseritur quotquot annis. contra qui intermittitur a novando novalis.* in huius modi autem segetibus non omnibus annis easdem fruges, sed certis intervallis maiores capi eaque de causa alternis annis agros levioribus sationibus relinquendos esse Varro praecipit I 44, 3, *cui Agrius, in Olynthia quotannis restibilia esse dicunt, sed ita ut tertio quoque anno uberiores ferant fructos. Licinius, agrum alternis annis relinqui oportet paulo levioribus sationibus, id est quae minus sugunt terram.* nam ita haec fidem manu scriptorum librorum secutus scribo: *aut paulo leuioribus* editio princeps a Politiano non correcta, *paulo aut leuioribus* codices. hoc exemplo usus II 7, 11 equas non quotannis, sed alternis annis praegnantes faciendas esse praecipit, *alternis qui admittant, diuturniores equos, meliores pullos fieri dicunt; itaque ut restibiles segetes esse* (*esset* codices) *exuctores, sic quotannis quae praegnates fiant.* eandem igitur legem hoc loco ad alvos apum transfert, cum apes et magis adsiduas fieri et fructuosiores dicat, si non quotannis, sed alternis annis favi eximantur aut, si tamen illud quotannis fieri necesse sit, sicut in restibilibus segetibus, non eadem favorum pars quotannis tollatur. iam vero in verbis quae vulgo feruntur id quod summum est et quod ipsa comparatio cum restibilibus segetibus flagitat, non eandem favorum partem omnibus annis eximendam esse, deest. atqui in manu scriptis libris *non quaeque multum,* in uno Parisino codice *non quaque multum* legitur; *non quoque multum* ediderat Merula. ergo ut restituatur illud quod desideramus, *non aeque multum* scribendum est, *sic in alvis, si non quotannis eximas aut non aeque multum, et magis his adsiduas habeas apes et magis fructuosas.*

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

IUSTUS IACOBI, D.

I. Publice *vitas clarissimorum ecclesiae virorum* enarrare perget d. Sat. h. XII-I.

II. Privatim *1) historiae ecclesiae partem alteram a Gregorio VII usque ad recens tempus* tradet sexies p. hebd. h. XI-XII. *2) theologiam symbolicam (polemicam)* docebit quinquies p. hebd. h. XII-I.

III. Privatissime et gratis in seminario regio theologico *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, D., Decanus.

I. Publice *geographiam Palaestinae* docebit d. Merc. h. III-IV.

II. Privatim *1) librum Iobi* explicabit quater p. hebd. h. III-IV. *2) archaeologiam hebraicam* tradet trinis p. hebd. scholis d. Lun. Mart. Merc. h. IV-V. *3) populi Israelitiic historiam* enarrabit binis scholis d. Iov. et Ven. h. IV-V.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderabitur, Praeterea eiusdem sodalibus qui ad *epigraphicen semiticam* incumbere cupiunt inscriptiones interpretandas proponet.

IULIUS KOESTLIN, D.

I. Publice *Pauli ad Corinthios epistolam alteram* interpretabitur d. Sat. h. X-XI.

II. Privatim *1) Pauli priorem ad Corinthios epistolam* interpretabitur quinquies p. hebd. h. X-XI. *2) ethicen christianam* tradet quinquies p. hebd. h. VIII-IX.

III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderabitur.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, D.

I. Publice ex instituto Lenziano *Apocalypsin* interpretabitur ter p. hebd. d. Merc. h. XII-I. Sat. h. X-XI et XII-I.

II. Privatim *1) evangelium Ioannis* interpretabitur quinis p. hebd. scholis h. X-XI. *2) theologiae practicae priorem partem* tradet quater p. hebd. h. XII-I.

III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Novi Testamenti et homileticas* moderabitur.

EDUARDUS RIEHM, D.,

I. Publice *alteram Iesaiani libri partem* (cap. XL-LXVI) explicabit d. Merc. h. III-IV et Sat. h. IX-X.

II. Privatim *1) psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X. *2) epistolam ad Hebraeos datam* explicabit quater p. hebd. h. VIII-IX.

III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis exercitationes* moderari perget d. Iov. h. VI vesp.

HERMANNUS HERING, D.

I. Publice *Pauli ad Romanos epistolae capita postrema quinque* explicabit d. Mart h. VIII-IX.

II. Privatim *1) Pauli ad Romanos epistolae capita priora undecim* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X. *2) Paedagogicen* docebit d. Iov. et Ven. h. IV-V.

III. Privatissime et gratis *seminarium catecheticum et proseminarium homileticum* moderabitur.

MARTINUS KAEHLER, D.

I. Publice *historiam scripturae sacrae inde a medio saeculo XVI* enarrabit d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatim *1) theologiae dogmaticae* partem priorem sive *prolegomena systematica* et *apologeticen*, libellum suum secuturus, tradet quinis p. hebd. scholis h. VIII–IX. *2) theologiam biblicam Novi Testamenti* docebit senis p. hebd. scholis h. IX–X.

III. Privatissime et gratis *societatem exegeticam Novi Testamenti* moderari perget d. Ven. h. VI vesp.

b. Professorum extraordinariorum.

GUSTAVUS KRAMER, D.

Scholas non habebit.

PAULUS TSCHACKERT, D. theol. et Dr. phil.

I. Publice *historiam aetatis apostolicae* tradet d. Sat. h. XI–I.

II. Privatim *1) historiam dogmatum christianorum* sexies p. hebd. docebit h. VII–VIII. *2) historiae ecclesiasticae partem primam* enarrabit quinquies p. hebd. h. XI–XII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes* moderabitur d. Mart. h. VI–VIII vesp.

c. Licentiati privatim docentis.

HERMANNUS FRANKE, Lic. theol.

I. Gratis *introductionem criticam in tria priora evangelia* docebit d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim *tria priora evangelia* synoptice interpretabitur quinquies p. hebd. h. X–XI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes ad Novum Testamentum pertinentes* moderabitur.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

HERMANNUS FITTING, Dr.

I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X–XI

II. Privatim *1) institutiones iuris Romani* docebit quotidie h. IX–X. *2) processum civilem imperii Germanici* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–IX. *3) doctrinam de concursu creditorum* secundum ius imperii Germanici exponet d. Merc. Sat. h. VIII–IX.

ERNESTUS MEIER, Dr.

I. Publice *de constitutione imperii Germanici* disseret d. Sat. h. IX–X.

II. Privatim tractabit *1) ius publicum cum Germanicum tum Borussicum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX–X. *2) ius gentium* d. Merc. Sat. h. X–XI.

ALFREDUS BORETIUS, Dr., Rector.

I. Publice *ius cambiale* docebit d. Merc. h. XI–XII.

II. Privatim *1) ius commerciorum Germanicum* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII. *2) imperii et iuris Germanici historiam* enarrabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII–I.

GUSTAVUS LASTIG, Dr.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris civilis* moderabitur d. Iov. h. IV–VI.

II. Privatim *1) ius Germanicum privatum* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI. *2) encyclopaediam iuris* tradet d. Mart. Ven. h. VIII–IX.

AEMILIUS BRUNNENMEISTER, Dr., Decanus.

I. Publice in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur d. Sat. h. XI–I.

II. Privatim *processum criminalem* tractabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII–I.

FRIDERICUS SCHOLLMEYER, Dr.

I. Publice *ius familiarum Borussicum* exponet d. Merc. h. VIII–IX.

II. Privatim *1) ius Borussicum privatum* docebit quotidie praeter d. Lun. h. VII–VIII *2) historiam iuris Romani* enarrabit quater p hebd. h. VIII–IX. *3) exercitationes iuris Romani practicas* instituet d. Mart. et Ven. h. IV–V.

Lectiones de pandectis novus professor in academia nostra a rege augustissimo instituendus habebit et exercitationes iuris Romani instituet.

b. Doctoris privatim docentis.

ADOLPHUS ARNDT, Dr.

I. Gratis *de vectigalibus et teloneis in imperio Germanico* disseret d. Mart. h. V–VI.

II. Privatim *ius administrationis Borussicum* tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–IX.

III. Scholae Medicorum.

a. Professorum ordinariorum.

LUDOVICUS KRAHMER, Dr.

I. Publice *artem formulas medicas concinnandi* tradet d. Merc. et Sat. h. IX–X.

II. Privatim *medicinam forensem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X.

THEODORUS WEBER, Dr.

I. Publice *exercitationibus clinicis ambulatoriis* praeerit d. Merc. et Sat. h. XII–I.

II. Privatim *1) scholas clinicas* habebit quotidie h. VIII–IX$^1/_4$. *2) scholas policlinicas* habebit quotidie h. def.

ROBERTUS OLSHAUSEN, Dr.

I. Publice *de morbis neonatorum* disseret semel p. hebd. d. Iov. h. V–VI.

II. Privatim *1) scholas gynaecologicas* moderabitur quotidie h. IX–X. *2) operationes obstetricias* docebit phantomate in usum adhibito d. Mart. Merc. Ven. h. VIII–IX.

THEODORUS ACKERMANN, Dr.

I. Publice *de tumoribus qui sarcomata et carcinomata vocantur* disseret d. Merc. h. VI–VII.

II. Privatim *1) pathologiam generalem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. III–IV. *2) exercitationes pathologico-histologicas* instituet d. Mart. Merc. Ven. h. IV–VI.

III. Privatissime peritioribus *laborandi copiam in instituto pathologico* dabit quotidie h. IX–I et h. III–VII.

HERMANNUS WELCKER, Dr., Decanus.

I. Publice *situm viscerum* demonstrabit d. Merc. h. def.

II. Privatim *1) anatomiae partem secundam, angiologiam et neurologiam*, docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII$^1/_2$. *2) generationem et historiam evolutionis corporis humani* docebit d. Mart. et Ven. h. III–IV.

RICARDUS VOLKMANN, Dr.

I. Publice *de orthopaedia* disseret d. Sat. h. XII–I.

II. Privatim *1) scholas clinicas chirurgicas* habebit quotidie h. X$^1/_2$–XII. *2) operationibus chirurgicis* in cadaveribus humanis instituendis praeerit quotidie h. VI–VIII mat.

IULIUS BERNSTEIN, Dr.

I. Publice *physicen* in usum medicorum docebit d. Lun. h. IX–X.

II. Privatim *1) physiologiae partem processus animales continentem* docebit d. Mart. — Sat. h. IX–X. *2) exercitationes physiologicas* habebit bis p. hebd. h. IV–VI.

III. Privatissime et gratis *disquisitiones physiologicas* in laboratorio peritiorum in usum moderabitur quotidie h. VIII–I.

ALFREDUS GRAEFE, Dr.

I. Publice *de oculorum motus theoria* disseret d. Merc. h. V–VI.

II. Privatim *exercitationibus clinicis ophthalmiatricis* praeerit d. Lun. et Iov. h. VII–VIII$^3/_4$

EDUARDUS HITZIG, Dr.

I. Publice *capita selecta morborum cerebri* tradet semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *psychiatriam* docebit et *scholas clinicas psychiatricas* habebit d. Merc. et Sat. h. II$^1/_2$–IV.

CAROLUS EBERTH, Dr.

I. Publice *de microorganismis* disseret et quid valeant in corpore humano docebit additis demonstrationibus d. Merc. h. VI–VII.

II. Privatim *1) histologiam* docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI. *2) exercitationes histologicas* habebit d. Mart. et Iov. h. IV–VI. *3) exercitationes histologicas* iis, qui iam imbuti sunt scientia histologica, accommodatas instituet h. def.

b. Professorum extraordinariorum.

HERMANNUS SCHWARTZE, Dr.

I. Publice *therapiam generalem morborum auris* docebit d. Iov. h. IV–V.

II. Privatim *exercitationes clinicas otologicas* moderabitur d. Mart. et Ven. h. IV–V.

ERNESTUS KOHLSCHUETTER, Dr.

Privatim *exercitationes clinicas propaedeuticas* moderabitur quotidie h. VII–VIII.

ERICUS HARNACK, Dr.

I. Publice *chemiam physiologicam generalem* tradet d. Lun. et Iov. h. VI–VII.

II. Privatim *disciplinam hygieinicam publicam* docebit d. Mart. et Ven. h. VI–VII.

III. Privatissime *1) exercitationes ad urinam usui clinico explorandam* instituet d. Merc. et Sat. h. VI–VII. *2) laborum* in instituto copiam dabit quotidie.

ADOLPHUS SEELIGMUELLER, Dr.

I. Publice *de morbis qui neuroses generales appellantur* disseret h. def.

II. Privatim *demonstrationes clinicas morborum systematis nervorum* moderari perget d. Ven. h. V–VII.

III. Privatissime *cursum neuropathologiae et electrotherapiae* offert h. def.

BERNHARDUS SOLGER, Dr.

I. Publice *rationem inter functionem organorum eorumque formam et structuram intercedentem* exponet semel p. hebd. h. def.

II. Privatim *osteologiam et syndesmologiam* docebit d. Merc. Iov. Ven. h. VIII–IX.

RICARDUS POTT, Dr.

I. Publice *de vaccinatione* disseret d. Lun. et Iov. h. II–III.

II. Privatim *demonstrationes clinicas paediatricas* moderari perget sexies p. hebd. h. X–XI.

c. Doctorum privatim docentium.

LUDOVICUS HOLLAENDER, Dr.

I. Privatim *1) scholas clinicas ad dentium et oris morbos pertinentes* moderabitur quotidie h. VIII–IX. *2) easdem medicinae studiosis accommodatas* habebit d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatissime *cursum offert, in quo operationes in dentibus instituendae tractabuntur* quotidie h. XII–I.

ALFREDUS GENZMER, Dr.

Privatim *chirurgiam specialem* tractabit quater p. hebd. h. VI–VII.

BERNHARDUS KUESSNER, Dr.

I. Gratis *de morbis organorum haemato-poeticorum* disseret d. Merc. h. VII–VIII mat.

II. Privatim *1) artem percutiendi et auscultandi* docebit d. Mart. Iov. Sat. h. VIII–IX. *2) pathologiam et therapiam specialem* tradet d. Lun. Merc. Ven. h. VIII–IX.

AEMILIUS SCHWARZ, Dr.

I. Gratis *morbos mulierum gravidarum parturientium puerperarum* tractabit d. Lun. h. IV–V.

II. Privatim *morbos uteri et vaginae* docebit d. Mart. et Ven. h. IV–V.

MAXIMILIANUS OBERST, Dr.

Privatim *scholis clinicis chirurgicis propaedeuticis* praeerit ter p. hebd. h. def.

HUGO HESSLER, Dr.

I. Gratis *anatomiam et physiologiam organi auditus* docebit semel p. hebd. h. def.

II. Privatim selecta *otologiae* capita exercitationibus practicis adhibitis tradet ter p. hebd. h. def.

CAROLUS SCHOENLEIN, Dr.

Privatim *physiologiam organorum nervorum centralium* docebit bis p. hebd. h. def.

PAULUS BUNGE, Dr.

Privatim *exercitationibus ophthalmoscopicis* praeerit bis p. hebd. h. def.

IV. Scholae Philosophorum.

a. Professorum ordinariorum.

AUGUSTUS ROSENBERGER, Dr.

I. Publice *1) trigonometriam sphaericam* docebit d. Mart. et Ven. h. III–IV. *2) de planetarum et cometarum orbitis computandis* disseret d. Lun. et Iov. h. III–IV.

FRIDERICUS POTT, Dr.

I. Publice *1) elementa linguae Sanscritae* duce Boppii grammatica minore usurus docebit d. Mart. et Ven. h. IV–V. *2) de scriptura hieroglyphica Aegyptiorum* disseret d. Merc. et Sat. h. XI–XII.

II. Privatim *grammaticam linguarum Graecae et Latinae inter se comparatam* docebit d. Mart. Merc. Ven. h. III–IV.

EDUARDUS ERDMANN, Dr.

I. Publice *introductionem historicam in logicam* dabit d. Lun. et Iov. h. IV–V.

II. Privatim *psychologiam* docebit quinquies p. hebd. h. V–VI.

HERMANNUS KNOBLAUCH, Dr.

I. Publice *1) colloquia de rebus physicis* atque *seminarii exercitationes* moderari perget d. Merc. h. VI–VIII vesp. *2) demonstrationibus et exercitationibus in usu instrumentorum* horis commodis vacabit.

II. Privatim *physices secundam partem* sive *lucis et caloris doctrinam* docebit experimentisque illustrabit quaternis p. hebd. scholis h. IX–X.

IULIUS ZACHER, Dr.

I. Publice *litterarum theodiscarum monumenta antiquissima* illustrabit d. Merc. h. XII–I.

II. Privatim *Wolframi Eschenbacensis* carmen cui *Parzival* inscriptum est interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII–I.

III. Privatissime et gratis *societatis theodiscae* bipartitae exercitationes moderari perget d. Mart. et Ven. h. II–III

HENRICUS KEIL, Dr.

I. Publice 1) in seminario philologico *scribendi disputandique* exercitationes moderabitur d. Lun. h. VIII-IX. 2) in proseminario philologico *Taciti dialogum de oratoribus* interpretandum proponet d. Iov. h. VIII-IX.

II. Privatim *1) antiquitates Romanas* tradet quaternis p. hebd. scholis h. XI-XII. *2) Sophoclis Electram* interpretabitur binis p. hebd. scholis h. XI-XII.

III. Privatissime et gratis societatem philologicam moderabitur semel p. hebd. h. II-III.

IULIUS KUEHN, Dr.

I. Publice *1) pathologiam plantarum* tradet d. Sat. h. IX-X. *2) exercitationes seminarii scientiae naturalis applicatae* bis p. hebd. h. commoda moderabitur.

II. Privatim *1) agriculturam specialem* adiunctis demonstrationibus practicis docebit quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX-X. *2) oeconomiam generalem* exponet quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI-XII.

III. Privatissime *exercitationes in laboratorio oeconomico-physiologico* instituet quinquies p. hebd. h. VIII-IV.

RICARDUS GOSCHE, Dr. phil. et Lic. theol., Decanus.

I. Publice *historiam scripturae* delineabit d. Merc. h. VII-VIII. matut.

II. Privatim *1) elementa linguae arabicae* docebit d. Mart. et Ven. h. XI-XII. *2) poeseos arabicae specimina* explicabit d. Lun. et Iov. h. XI-XII. *3) grammaticam linguae persicae* adumbrabit d. Merc. et Sat. h. XI-XII. *4) historiam litterarum germanicarum aevi recentissimi* enarrabit d. Merc. et Sat. h. XII-I.

ERNESTUS DUEMMLER, Dr.

I. Publice in *historiam medii aevi* quod vocatur introducet d. Merc. h. VIII-IX.

II. Privatim *historiam imperii Romanorum inde a Iulio Caesare* enarrabit quater p. hebd. d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII-IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii historici* moderabitur semel p. hebd. d. Ven. h. VI-VIII.

RUDOLFUS HAYM, Dr.

I. Publice *De iis qui post Hegelium philosophati sunt* disseret d. Mart. et Ven. h. V-VI.

II. Privatim *historiam litterarum Germanicarum a Gottschedio ad nostram usque aetatem* enarrabit quinis p. hebd. scholis h. VIII-IX.

III. Privatissime et gratis *exercitationes* denuo instituet *philosophicas* h. def.

GREGORIUS KRAUS, Dr.

I. Publice *demonstrationes systematicas* in horto instituet h. def.

II. Privatim *1) elementa botanices* docebit sexies p. hebd. h. VII-VIII. *2) physiologiam plantarum* docebit d. Merc. h. IV-VI.

III. Privatissime *1) exercitationes phytotomicas, 2) seminarium botanicum* moderabitur h. def.

IOANNES CONRAD, Dr.

I. Privatim *1) oeconomiae politicae secundam partem* (Volkswirthschaftspolitik) d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X-XI. *2) doctrinam de politia* (Polizeiwissenschaft) d. Lun. et Iov. h. VIII-IX. docebit.

II. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii oeconomico-politici et statistici* moderari perget.

GUSTAVUS DROYSEN, Dr.

I. Privatim *historiam aevi nostri (inde ab a. 1815.)* enarrabit quaternis p. hebd. scholis h. IV-V.

II. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii historici* moderari perget d. Mart. h. VI-VIII.

ALFREDUS KIRCHHOFF, Dr.

I. Publice *exercitationes geographicas* moderari perget d. Ven. h. V–VI.

II. Privatim *1) geographiam generalem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV–V. *2) de agricultura extra Germaniam* disseret d. Merc. h. IX–X.

HERMANNUS GRENACHER, Dr.

I. Publice *de structura avium* disseret h. def.

II. Privatim *zoologiam generalem* tractabit quaternis p. hebd. h. XII–I.

EDUARDUS HILLER, Dr.

I. Publice *1)* seminarii philologici sodalibus *Iliadis librum tertium* interpretandum proponet d. Merc. h. VIII–IX. *2)* in proseminario philologico *scribendi disputandique exercitationes* moderabitur d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatim *1) litterarum Latinarum historiae partem priorem* enarrabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X. *2) de poetis Alexandrinis* disseret et *Theocriti carmina selecta* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. IX–X.

GUILELMUS DITTENBERGER, Dr.

I. Publice seminarii philologici sodalibus *Terentii Andriam* interpretandam proponet d. Merc. et Sat. h. X–XI.

II. Privatim *Thucydidis historias* interpretabitur d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X–XI.

HERMANNUS SUCHIER, Dr.

I. Publice *1) carmina Francogallica medio aevo composita* interpretabitur d. Mart. Iov. Sat. h. IX–X. *2)* adiutore Doctore Wardenburg *seminarii Romanici exercitationes* moderabitur bis p. hebd.

II. Privatim *grammaticam historicam linguae Francogallicae* docebit d. Mart. Iov. Sat. h. VIII–IX.

CAROLUS A FRITSCH, Dr.

I. Publice *1) Germaniae centralis geognosiam* docebit d. Merc. h. VI–VII. pom. *2) excursiones geognosticas* instituet *coniunctas exercitationibus seminarii mineralogici* horis et diebus postea indicandis.

II. Privatim *geologiam* tractabit d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI.

III. Privatissime *exercitationes mineralogicas, geologicas, palaeontologicas* moderari perget una cum Dr. Luedecke quinquies p. hebd. h. IX–I et d. Mart. h. II–IV.

CAROLUS ELZE, Dr.

I. Publice *exercitationes seminarii Anglici* moderabitur d. Merc. et Sat. h. IX–X.

II. Privatim *1) introductionem in studium philologiae Anglicae* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X–XI. *2) Spenseri* carmen epicum cui inscriptum est *The Faerie Queene* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. X–XI.

IACOBUS VOLHARD, Dr.

I. Publice *metalla et sales* tractabit d. Lun. h. V–VI.

II. Privatim *chemiam organicam*, chemiae experimentalis partem alteram, docebit sexies p. hebd. h. VIII–IX.

III. Privatissime *exercitationes practicas in laboratorio chemico* moderabitur una cum Prof. Schmidt d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX–XII et II–V.

GEORGIUS CANTOR, Dr.

I. Publice capita selecta *theoriae functionum ellipticarum* docebit d. Merc. h. XI–XII.

II. Privatim *geometriam analyticam* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI–XII.

III. Privatissime et gratis *exercitationes mathematicas* moderabitur d. Sat. h. XI–XII.

HENRICUS HEYDEMANN, Dr.

I. Publice *vasorum pictorum historiam* exponet d. Sat. h. VII–VIII.

II. Privatim *1) Graecorum antiquitates privatas* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII–VIII. *2) monumenta musei archaeologici* explicabit d. Merc. et Sat. h. XII–I.

III. Privatissime et gratis *exercitationes archaeologicas* moderari perget d. Sat. h. II–IV.

ALBERTUS WANGERIN, Dr.

I. Publice capita selecta *mechanices analyticae* tractabit d. Ven. h. XI–XII.

II. Privatim *1) calculum variationum* exponet d. Lun. Mart. Iov. h. XI–XII. *2) de aequationibus differentialibus, quae lineares partiales vocantur, earumque usu in physice mathematica* disseret d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X–XI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes seminarii mathematici* moderari perget d. Merc. h. VIII–X.

b. Professorum extraordinariorum.

HUGO EISENHART, Dr.

I. Publice *de theoria vectigalium* disseret d. Merc. et Sat. h. IV–V.

II Privatim *oeconomiam nationalem* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV–V.

GUSTAVUS HERTZBERG, Dr.

I. Publice *historiam* enarrabit *Graecorum inde ab Alexandro Magno usque ad Peloponnesum a Turcis captam* d. Mart. et Iov. h. X–XI.

II. Privatim *historiam* docebit *Graeciae antiquae usque ad Alexandrum Magnum* d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. V–VI.

ERNESTUS TASCHENBERG, Dr.

I. Publice *de lepidopteris* disseret d. Merc. h. XI–XII.

II. Privatim *introductionem in entomologiam* tradet d. Lun. et Iov. h. XI–XII.

III. Privatissime *exercitationes entomologicas* instituet d. Mart. et Ven. h. XI–XII.

CAROLUS FREYTAG, Dr.

I. Publice *excursiones oeconomicas et demonstrationes practicas* instituet d. Sat. h. III–VI.

II. Privatim 1) *pecuariam rem specialem* docebit d. Mart. Iov. Ven. h. III–IV, d. Merc. Sat. h. X–XI. d. Iov. h. XII–I. *2) doctrinam de rerum rusticarum calculatione* tradet d. Merc. h. III–V.

MAXIMILIANUS MAERCKER, Dr.

I. Publice *chemiae agriculturae capita selecta* docebit d. Merc. h. VI–VII.

II. Privatim *chemiae agriculturae alteram partem* tractabit d. Merc. et Sat. h. XI–I.

ALBERTUS WUEST, Dr.

I. Publice *colloquia de rebus technicis et excursiones* instituet h. def.

II. Privatim *1) scientiae machinarum et instrumentorum rei rusticae causa comparatorum capita selecta* tradet d. Mart. et Iov. h. VII–VIII. *2) geometriam practicam cum exercitationibus metiendi planandique agros* docebit d. Merc. h. III–VI.

IULIUS WELLHAUSEN, Dr.

I. Publice *scriptores Arabicos et Syriacos* cum commilitonibus legere perget, quaternis p. hebd. scholis.

II. Privatim *historiam religionis Israeliticae* adumbrare conabitur dd. Lun. et Iov. h. V–VI. *2) vitam Mahometi* enarrabit dd. Mart. et Ven. h. V–VI. *3) elementa Syriaca* tradet d. Lun. et Iov. h. XII–I. *4) scriptores Arabicos* interpretabitur dd. Mart. et Ven. h. XII–I.

ALBERTUS LUDOVICUS EWALD, Dr.

I. Publice *historiam Prussiae inde ab antiquissimis temporibus usque ad annum 1618* enarrabit d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatim *1) Germanorum historiam* inde ab a. 1850 usque ad a. 1871 tradet d. Merc. et Sat. h. IX–X. *2) disciplinae saltuariae priorem partem* tractabit d. Mart. et Ven. h. XII–I.

III. Privatissime et gratis *exercitationes ad Borussiae historiam spectantes* moderabitur d. Iov. h. VI–VIII.

HERMANNUS PUETZ, Dr.

I. Publice *fundamenta therapiae generalis* docebit respiciens medicamenta a veterinariis frequenter adhibita d. Lun. h. III–IV.

II. Privatim *1) chirurgiam veterinariam una cum demonstrationibus clinicis* et respiciens equi speciem tractabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–IX. *2) de propagatione animalium domesticorum* disseret respiciens auxilia ante, inter et post partum ferenda atque morbos animalium neonatorum d. Merc. et Sat. h. VIII–IX.

GUILELMUS SCHUM, Dr.

I. Publice *de architecturae medii aevi monumentis celeberrimis* disseret d. Sat. h. VIII–IX.

II. Privatim *1) historiam medii aevi inde ab interregno* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–X. *2) latinam et germanicam medii aevi palaeographiam* docebit legendisque eius aetatis codicibus auditores exercebit d. Lun. Mart. Iov. h. III–IV.

III. Privatissime et gratis *exercitationes diplomaticas* moderabitur d. Lun. h. VI–VIII.

ERNESTUS SCHMIDT, Dr.

I. Publice *de venenis anorganicis inquirendis* disseret d. Merc. h. XII–I.

II. Privatim *cheniae pharmaceuticae partem alteram* docebit d. Merc. Iov. Ven. h. V–VI.

III. Privatissime *exercitationes analyticas in laboratorio chemico* una cum Prof. Volhard moderabitur quinquies p. hebd. h. IX–XII et II–V.

ANTONIUS OBERBECK, Dr.

I. Publice *recentiorem theoriam fluidorum aeriformium* exponet d. Merc. et Sat. h. XII–I.

II. Privatim *theoriam caloris* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII–I.

III. Privatissime *exercitationes in laboratorio physico* moderari perget quater p. hebd. h. def.

GUILELMUS KIRCHNER, Dr.

I. Publice *agriculturae historiam* tradet d. Lun. h. V–VI.

II. Privatim *de soli cognitione in usum agriculturae cum exercitationibus* disseret d. Mart. Iov. Ven. h. V–VI.

III. Privatissime *exercitationes in lacte tractando* instituet d. Sat. h. VII–IX.

AUGUSTUS KROHN, Dr.

I. Publice *de Fichtii doctrina* disseret d. Merc. h. V–VI.

II. Privatim *1) historiam philosophiae* docebit quinis p. hebd. scholis h. IV–V. *2) logicam et encyclopaediam philosophiae* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V–VI.

III. Privatissime et gratis *Platonis Phaedonem* interpretabitur h. def.

GUSTAVUS GLOGAU, Dr.

I. Publice *Kantii librum Kritik der reinen Vernunft* interpretandum proponet h. def.

II. Privatim *1) historiam philosophiae universam* quinis p. hebd. scholis enarrabit h. V–VI. *2) paedagogicen* docebit d. Mart. Merc. Ven. h. IV–V.

HUGO GERING, Dr.

I. Publice elementa *linguae danicae* tradet et *Adami Oehlenschlaegeri tragoediam* quae inscribitur *Hakon Jarl* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. VII–VIII.

II. Privatim *grammaticam linguae theodiscae veteris* docebit selectaque eius linguae monumenta explicabit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII–VIII.

III. Privatissime et gratis *societatis theodiscae* sodalibus carmen anglosaxonicum quod inscribitur *Beówulf* interpretandum proponet d. Merc. h. III$\frac{1}{2}$–IV$\frac{1}{2}$.

CHRISTIANUS BARTHOLOMAE, Dr.

I. Publice *grammaticam linguae oscae* enarrabit d. Merc. et Sat. h. VII–VIII.

II. Privatim *exercitationes palaeoindicas* moderabitur d. Mart. Iov. Ven. h. VII–VIII.

III. Privatissime *scripta palaeoindica* cum commilitonibus legere perget bis p. hebd. h. def.

c. Doctorum privatim docentium.

SEBASTIANUS CORNELIUS, Dr.

I. Gratis *meteorologiam et climatologiam* docebit d. Merc. h. X–XI.

II. Privatim *capita selecta mechanices et machinarum doctrinae* exponet d. Lun. et Iov. h. IX–X.

DAVID BRAUNS, Dr.

I. Gratis *palaeanthropologiam* breviter exponet d. Sat. h. X–XI.

II. Privatim *1) palaeontologiam* quaternis p. hebd. scholis tractabit VIII-IX. *2) geologiam technice applicatam* studiosis agronomiae tradet d. Mart. et Ven. h. IV–V.

OTTO LUEDECKE, Dr.

I. Privatim *1) mineralia principalia* tractabit d. Lun. et Iov. h. IX–X. *2) petrographiam* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX–XII.

II. Privatissime *exercitationes mineralogicas* una cum Prof. a Fritsch moderari perget d. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX–I. Mart. h. II–IV.

OTTO TASCHENBERG, Dr.

I. Privatim *1) historiam naturalem piscium* enarrabit d. Lun. et Iov. h. VII–VIII. *2) capita ex animalium evolutione selecta* tradet d. Mart. et Ven. h. VII–VIII.

II. Privatissime *exercitationes zootomicas tironibus accommodatas* instituet d. Sat. h. IX–XI.

EDUARDUS WILTHEISS, Dr.

Privatim *1) introductionem in analysin* dabit d. Lun. Mart. Iov. h. VIII–IX. *2) theoriam functionum hyperellipticarum* tradet d. Lun. Mart. Iov. h. IX–X.

GEORGIUS BAUMERT, Dr.

I. Gratis *de antisepticis* disseret semel p. hebd. h. def.

II. Privatim in *chemiae studium* auditores introducet bis p. hebd. h. def.

HENRICUS A STEIN, Dr.

Itinere impeditus scholas non habebit.

CAROLUS WENCK, Dr.

I. Privatim *1) historiam constitutionis ecclesiasticae rationisque quae intercedit inter rempublicam et sacerdotium* tradet d. Merc. et Sat. h. mat. VII–VIII. *2) historiam civitatum Germanicarum* enarrabit d. Mart. et Iov. h. mat. VII–VIII.

II. Privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderari perget d. Iov. h. VI–VIII.

RICARDUS LEHMANN, Dr.

Privatim *de hominum domiciliis, unde nascantur et quomodo augeantur,* disseret d. Mart. et Iov. h. VI–VII.

CAROLUS IOANNES NEUMANN, Dr.

I. Gratis *Ciceronis epistulas* interpretabitur d. Lun. h. V–VI.

II. Privatim *de rerum divinarum antiquitatibus Graecis* disseret d. Mart. et Iov. h. V–VI.

III. Privatissime et gratis *exercitationes historicas* moderaturus *inscriptiones Latinas cum alias tum res gestas Divi Augusti monumento Ancyrano servatas* interpretandas proponet.

GUILELMUS ZOPF, Dr.

I. Privatim *cryptogamas cellulares* tradet d. Lun. et Iov. h. IV–V.

II. Privatissime *exercitationes in ratione plantarum determinandarum* instituet d. Mart. et Ven. h. V–VII.

V. Scholae lectorum publicorum.

ROBERTUS FRANZ, Dr., Director musices.

I. Publice *harmonicen modorumque doctrinam* semel p. hebd. tradet.

II. Privatim *cursum practicum artis symphoniacae* semel p. hebd. instituendum offert.

OTTO REUBKE, artis musicae lector academicus.

I. Publice *historiam artis musicae* delineabit d. Merc. h. IV–V.

II. Privatim *theoriam artis compositionisque musicae* docebit bis p. hebd. h. def.

III. Privatissime et gratis *exercitationes societatis academicae cantandi causa institutae* diriget h. def.

CAROLUS AUE, Dr., linguae Anglicae magister academicus.

I. Privatim *1) Sheridani comoedias* interpretabitur bis p. hebd. h. def. *2) Hauffii narrationis* quae inscribitur *Lichtenstein* selectas partes in Anglicum sermonem vertendas proponet d. Mart. et Ven. h. XI–XII.

II. Privatissime et gratis *exercitationes in seminario Anglico* instituet d. Lun. et Iov h. XI–XII.

BERNHARDUS WARDENBURG, Dr., linguae Francogallicae magister academicus.

I. Publice *de literis Francogallicis* sermone disseret Francogallico d. Merc. h. VIII–IX.

II. Privatim *Victoris Hugonis Hernani fabulam* cum commilitonibus leget et de ea sermone Francogallico colloquetur d. Merc. et Sat. h. XI–XII.

FRIDERICUS HEYER, Dr., horti culturae lector academicus.

I. Privatim *1) horticulturam rusticam et culturam seminum* docebit d. Merc. h. IX–X et V–VI. *2) repetitorium oeconomicum* habebit d. Lun. Merc. Iov. h. IV–V.

II. Privatissime et gratis *demonstrationes oeconomicas et hortenses* moderabitur semel p hebd. h. def.

VI. Artium exercitia.

I. *Artem rudibus batuendi* profitetur Loebeling.

II. *Saltandi artem* monstrabit Rocco.

III. *Artem delineandi atque pingendi, artem delineandi praeparata microscopica* ad usum eorum qui studiis medicinae vel rerum naturalium incumbunt accommodatam h. def. privatim docebit H. Schenck.

IV. *Artem equitandi* docebit Schreiber.

2*

VII. PUBLICA DOCENDI DISCENDIQUE SUBSIDIA.

I. *Bibliotheca academica* civibus universitatis patebit d. Merc. et Sat. h. IX–XII et II–IV itemque d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII–I. — *Bibliotheca usui studiosorum litterarum destinata* d. Mart. h. IX–X et d. Ven. h. II–III. — *Bibliotheca seminarii philologici* h. def. — *Bibliotheca seminarii paedagogici* h. def. — *Bibliotheca Hungarica* d. Merc. h. II–III. — *Bibliotheca iuridica* d. Mart. et Ven. h. II–IV. — *Bibliotheca academiae Leopoldinae Carolinae* d. Lun. et Iov. h. III–VI patebit.

II. *Apparatus palaeographo-diplomaticus* inspiciendi copiam faciet Schum d. Merc. h. IX–X.

III. *Museum monumentorum artis antiquae* d. Merc. et Sat. h. XI–XII inspiciendi copiam faciet Heydemann.

IV. *Collectio imaginum aere incisarum.*

V. *Specula astronomica* patebit praefecto Rosenberger.

VI. *Museum physicum.* Huic praeest Knoblauch.

VII. *Ergasterium physicum.* Huic praeest Oberbeck.

VIII. *Ergasterium chemicum.* Huic praeest Volhard.

IX. *Hortus botanicus* et *herbarium academicum.* His praeest Kraus.

X. *Museum mineralogicum* iis qui studiis mineralogicis iam operam dederunt d. Mart. h. II–IV aperiendum curabit a Fritsch.

XI. *Museum zoologicum* d. Merc. h. I–III aperiendum curabit Grenacher.

XII. *Theatrum anatomicum* et *musea* tam *anatomicum* quam *zootomicum*, quibus accedunt *Meckelii collectiones anatomicae.* His praesunt Welcker et Eberth.

XIII. *Nosocomia clinica* 1) medicum, 2) chirurgicum, 3) obstetricium. His praesunt Weber, Volkmann, Olshausen.

XIV. *Institutum pathologicum.* Huic praeest Ackermann.

XV. *Apparatus pharmacologici* inspiciendi copiam faciet d. Mart. h. IV-VI Harnack.

XVI. *Museum technologicum.* Huic praeest Knoblauch.

XVII. *Apparatus oeconomicus.* Huic praeest Kuehn

XVIII. *Societatis Thuringo-Saxonicae* ad investigandas patriae antiquitates institutae apparatus et monumenta antiqua inspiciendi copiam faciet Duemmler.

VIII. SEMINARIA.

I. *Theologicum.* Exercitationibus exegeticis V. T. praeest Schlottmann, exegeticis N. T. Beyschlag, historicis Iacobi, systematicis Koestlin, homileticis Beyschlag, homileticis prosemmarii et catecheticis Hering.

II. *Paedagogicum.*

III. *Iuridicum.* Hoc Lastig et Brunnenmeister moderabuntur.

IV. *Philologicum.* Huic praesunt Keil, Hiller, Dittenberger.

V. *Romanicum.* Huic praeest Suchier.

VI. *Anglicum.* Huic praeest Elze.

VII. *Historicum.* Huic praesunt Duemmler et Droysen.

VIII. *Mathematicum omniumque disciplinarum physicarum.* Huic praesunt Rosenberger, Knoblauch, Volhard, Grenacher, Kuehn, Kraus, a Fritsch, Cantor, Wangerin.

IX. *Physiologicum.* Huic praeest Bernstein.

X. *Pharmaceuticum.*

XI. *Oeconomicum.* Huic praeest Kuehn.

XII. *Oeconomico-politicum.* Huic praeest Conrad.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DESCRIPTAE.

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VI–VIII.	. . . .	. . . .	**Volkmann** operat. chirurg. [6].	. . . .
VII–VIII.	**Tschackert** histor. dogmat. [6].	**Schollmeyer** ius. Bor. priv. [5].	**Kohlschütter** exerc. diagnost. [6]. **Kuessner** morb. organ. haem. poetic. [1].	**Gosche** hist. script. [1]. **Kraus** elem. bot. [6]. **Wuest** de mach. et instr. rei rust. [2]. **Heydemann** vas. pict. hist. [1]. **Idem** Graec. antiq. priv. [2]. **Idem** mus archaeol. monum. [2]. **Gering** gramm. Theodisc. vet. [4]. **Idem** gramm. dan. [2]. **Bartholomae** gramm. ling. Osc. [2]. **Idem** exerc. palaeoind. [3]. **O. Taschenberg** hist. nat. pisc. [2]. **Idem** cap. ex animal. evolut. select. [2]. **Wenck** histor. const. eccl. [2]. **Idem** hist. civ. Germ. [2].
VII–IX.	. . . .	. . . .	**Graefe** schol. clinic. ophthalm. [2].	**Kirchner** exerc. in lect. tract. [1].
VIII–IX.	**Köstlin** ethic. [5]. **Riehm** ep. ad Hebr. [4]. **Hering** ep. ad. Rom [1]. **Kähler** dogm. I [5]. **Idem** hist. script. sacr. [1].	**Fitting** process. civ. [4]. **Idem** concurs. cred [2]. **Lastig** encyclopaediam iuris [2]. **Schollmeyer** ius fam. [1]. **Idem** hist. iur. Rom. [4]. **Arndt** ius admin. Boruss. [4].	**Olshausen** operat. obstetr. [3]. **Solger** osteol. et syndesm. [3]. **Hollaender** schol. clinic. odontiatr. [6]. **Kuessner** path. et therap. spec. [3]. **Idem** perc. et auscult. [3].	**Keil** sem. philol. [1]. **Idem** prosem. philol. [1]. **Duemmler** hist. aev. med. [1]. **Idem** hist. imp. Roman. [4]. **Haym** hist. litt. Germ. rec. [5]. **Conrad** doctr. de polit. [2]. **Hiller** sem. et prosem. philol. [2]. **Suchier** gramm. hist. Ang. Francog. [3]. **Volhard** chem. org. [6]. **Puetz** chirurg. veterin. [4]. **Idem** propag. animal. domest. [2]. **Schum** de archit. med. aev. [1]. **Wiltheiss** introd. in analyt. [3] **Wardenburg** litt. Francogall. [1]. **Brauns** Palaeontol. [4].
VIII–IX¼	. . . .	. . . .	**Weber** scholas clinicas [6].	. . . .
VIII–X.	. . . .	. . . .	. . . .	**Wangerin** sem. math. [1].
VIII–IV.	. . . .	. . . .	. . . .	**Kuehn** laborat. oec.-physiol. [5].
IX–X.	**Riehm** psalmos [5]. **Idem** Ies. part. alt. [1]. **Hering** ep. ad. Rom. [5]. **Kähler** theol. bibl. N. T. [6]. **Franke** introd. in tria pr. evang. [1].	**Fitting** institut. [6]. **Meier** ius publ. [5]. **Idem** const. imp. [1].	**Krahmer** art. form. med. concinn. [2]. **Idem** med. forens. [4]. **Olshausen** schol. clinic. gynaecol. [6]. **Bernstein** phys. med. [1]. **Idem** physiol. proc. anim. [5].	**Knoblauch** doctr. luc. et calor. [4]. **Kuehn** pathol. plant. [1]. **Idem** agric. spec. [4]. **Kirchhoff** agricult. extr. Germ. [1]. **Hiller** litt. Latin. hist. [4]. **Idem** de poet. Alexandr. [2]. **Suchier** carm. Francog. med. aev. [3]. **Elze** sem. Anglic. [2]. **Ewald** hist. recent. Germ. [2]. **Schum** hist. med. aev. [4]. **Luedecke** min. princ. [1]. **Cornelius** mech. et mach. doctr. [2]. **Wiltheiss** theor. funct. hyperellipt. [3]. **Heyer** hortic. rust. [1].
IX–XI.	. . . .	. . . .	. . . .	**Wangerin** theor. integr. definit. [1].

HORA.	I. THEOLOGORUM	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
IX–XII.	. . . .	. . . .	. . . .	**Volhard** exerc. pract. [4]. **Luedecke** petrogr. [3].
IX–I.	. . . .	. . . .	**Ackermann** copia laborandi in instit. pathol. [6]. **Bernstein** disq. physiol. [6].	a **Fritsch** et **Luedecke** exerc. miner. geol. palaeontol. [5].
X–XI.	**Köstlin** ep. I ad Cor. [5]. **Idem** ep. II. ad Cor. [1]. **Beyschlag** ev. Ioann. [5]. **Idem** apocal. [1]. **Franke** tria pr. evang. [5].	**Fitting** proc. civ. Rom. [1]. **Meier** ius gent. [2]. **Lastig** iur. priv. germ. [5].	**Eberth** histologia [4]. **Pott** exerc. clinic. paediatr. [6].	**Conrad** oec. polit. alt. part. [4]. **Dittenberger** Thucyd. [4]. **Idem** sem. philol. [2]. a **Fritsch** geolog. [5]. **Elze** introd. in stud. phil. Angl. [4]. **Idem** Spens. carm. [2]. **Wangerin** de aeq. differ. [5]. **Hertzberg** hist. ab Alex. M. [2]. **Freitag** pecuar. rem spec. [2]. **Cornelius** meteorol. et climatol. [1]. **Brauns** palaeonthrop. [1].
X–XII.	. . . .	. . . .	**Volkmann** schol. clinic. chirurg. [6].	. . . .
XI–XII.	**Jacobi** hist. eccles. II. [6]. **Tschackert** hist. eccles. I [5].	**Boretius** ius commerc. [4]. **Idem** ius camb. [1].	. . . .	**Pott** de script. hierogl. Aegypt. [2]. **Keil** antiq. Roman. [4]. **Idem** Sophocl. Elect. [2]. **Kuehn** oec. gener. [4]. **Gosche** elem. ling. Arab. [2]. **Idem** poes. Arab. [2]. **Idem** gramm. ling. pers. [2]. **Cantor** cap. sel. theor. funct. anal. [1]. **Idem** geom. anal. [4.] **Idem** sem. math. [1]. **Wangerin** calc. variat. [3]. **Idem** cap. sel. mech. [1]. **E. Taschenberg** de lepid. [1]. **Idem** introd. in entomol. [2] **Idem** exerc. entom. [2]. **Wardenburg** V. Hugo Hernani [2]. **Aue** Hauff Lichtenst. angl. [2]. **Idem** sem. angl. [2].
XI–XII½.	. . . .	. . . .	**Welcker** anatom. vas. et nerv. [4].	. . . .
XI–I.	**Tschackert** hist. act. apost. [1].	**Brunnenmeister** exercit. iur. crim. [1].	. . . .	**Maercker** chem. agric. part. alt. [2].
XII–I.	**Jacobi** symbol. [5]. **Idem** vit. clar. eccl. vir. [1]. **Beyschlag** theol. pract. I [4]. **Idem** apocal. [2].	**Boretius** hist. imp. et iuris Germ. [5]. **Brunnenmeister** proc. crim. [5].	**Weber** exercitat. ambulator. [2]. **Volkmann** orthopaed. [1]. **Hollaender** operat. in dent. inst. [6].	**Zacher** theol. mon. antiq. [1]. **Idem** Wolframi Eschenb. Parzival [4]. **Gosche** hist. litt. Germ. rec. [2]. **Grenacher** zool. gen. [4]. **Wellhausen** Arab. et Syr. [4]. **Freytag** pecuar. rem spec. [1]. **Ewald** disc. saltuar. prior. part [2]. **Oberbeck** rec. theor. fluid. aev. form. [2]. **Idem** theor. calor. [4]. **Schmidt** de ven. organ. [1].
II–III.	. . . .	. . . .	**Seeligmueller** clin. nerv. [2]. **Pott** De vaccinat. [2].	**Zacher** soc. theol. exerc. [2]. **Keil** soc. philol. exerc. [1].

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
II–IV.	. . . .	. . . .	**Hitzig** clinic. psychiatr. [2].	a **Fritsch** et **Luedecke** exerc. miner. geol. [1]. **E. Taschenberg** exerc. entom. [1]. **Heydemann** exerc. archaeol. [1].
II–V.	. . . .	. . . .	. . . .	**Volhard** exerc. pract. [4].
III–IV.	**Schlottmann** libr. Iob. [4]. **Idem** geogr. Palaest. [1]. **Riehm** Ies. part. alt. [1].	. . . .	**Ackermann** anat. pathol. gener. [4]. **Welcker** gener. et evol. corp. hum. [2].	**Rosenberger** trigon. sphaeric. [2]. **Idem** orbit. planet. et comet. det. [2]. **Pott** ling. Graec. et Lat. comp. [3]. **Freytag** pecuar. rem spec. [3]. **Puetz** therap. gener. [1]. **Schum** Lat. et Germ. med. aev. palaeogr. [3].
III½–IV½	. . . .	. . . .	. . . .	**Gering** exerc. Anglos. [1].
III–V.	. . . .	. . . .	. . . .	**Freitag** rer. rust. calcul. [1].
III–VI.	. . . .	. . . .	. . . .	**Freytag** excurs. oec. [1]. **Wuest** geom. pract. [1].
III–VII.	. . . .	. . . .	**Ackermann** cop. labor. in instit. pathol. [6].	. . . .
IV–V.	**Schlottmann** archaeol. [3]. **Idem** histor. Israel. [2]. **Hering** paedag. [2].	**Schollmeyer** exerc. iur. Rom. pract. [2].	**Schwartze** therap. gener. aur. [1]. **Schwarz** morb. uter. et vagin. [2].	**Pott** elem. ling. Sanscr. [2]. **Erdmann** introd. hist. in log. [2]. **Droysen** hist. aev. nostr. [4]. **Kirchhoff** geogr. Asiae [4]. **Eisenhart** theor. vectig. [2]. **Idem** oecon. nat. [4]. **Kirchner** agric. hist. [1]. **Idem** soli cogn. [3]. **Krohn** histor. philos. [5]. **Glogau** pädag. [3]. **Brauns** geol. techn. [2]. **Gering** soc. Theodisc. [1]. **Zopf** crypt. cellul. [2]. **Heyer** repet. oecon. [3].
IV–VI.	. . . .	**Lastig** exerc. iur. civ. [1].	**Ackermann** exercit. pathol.- histologicas [3]. **Bernstein** exercit. physiologicas [2]. **Eberth** exerc. histolog. [2]. **Schwartze** exercit. otolog. [2].	**Kraus** physiol. plant. [1]. **Luedecke** exerc. crystallogr. [1].
V–VI.	. . . .	**Arndt** de vectigalibus et teloneis in imp. Germ. [1].	**Olshausen** morb. neonat. [1]. **Graefe** mot. ocul. [1]. **Seeligmüller** morb. nerv. [1].	**Erdmann** psycholog. [5]. **Haym** Post Hegel. philos. [2]. **Kirchhoff** exerc. geogr. [1]. **Hertzberg** histor. Graec. antiq. [4]. **Wellhausen** hist. relig. Israel. [2]. **Idem**, vita Mahom. [2]. **Schmidt** chem. pharm. p. II. [3]. **Krohn** logic. et encycl. phil. [4]. **Idem** Ficht. doctr. [1]. **Glogau** hist. phil. [5]. **Neumann** Cic. epist. [1]. **Idem** antiq. Graec. [2]. **Heyer** hortic. rust. [1].
V–VII.	. . . .	. . . .	**Seeligmüller** dem. clin. morb. nerv. [1].	**Zopf** exerc. plant. [2].

HORA.	I. THEOLOGORUM.	II. IURISCONS.	III. MEDICORUM.	IV. PHILOSOPHORUM.
VI–VII.	. . . .	. . . .	**Ackermann** de tum. [1]. **Eberth** micro-org. [1]. **Harnack** chem. physiol. [2]. **Idem** hygiein. [2]. **Idem** exerc. ad explor. urin. [2]. **Genzmer** chirurg. special. [4].	**a Fritsch** Germ. centr. geogn. [1]. **Maercker** cap. sel. chem. agric. [1]. **Glogau** Spinozae ethic. [2]. **Lehmann** de hom. dom. [2].
VI–VIII.	**Riehm** societ. V. T. [1]. **Kähler** societ. exeg. N. T. [1]. **Tschackert** exercit ad hist. eccles. pert. [1].	. . . .	. . . .	**Knoblauch** de reb. phys atq. sem. exerc. [1]. **Duemmler** sem. hist. [1]. **Droysen** sem. hist. [1]. **Ewald** exercit. hist. [1]. **Schum** exerc. diplom. [1]. **Wenck** exerc histor. [1].

HORIS DEFINIENDIS.

SCHOLAE THEOLOGORUM.	SCHOLAE IURISCONSULTORUM	SCHOLAE MEDICORUM	SCHOLAE PHILOSOPHORUM
Schlottmann epigr. semit. **Franke** exercit. ad N. T. pert.	. . . .	**Weber** schol. policlin. [6]. **Welcker** sit. visc. [1]. **Hitzig** morb. cerebr. [1]. **Seeligmueller** curs. electrother. [1]. **Kraske** de oss. et articul. morb. [2]. **Idem** de tumor. [1]. **Eberth** exercit. histol. **Kuessner** morb. ren. [1]. **Oberst** orthopaed. [1]. **Solger** capit. select. [1]. **Oberst** chir. clin. prop. [3]. **Schwarz** morb. puerp. [1]. **Hessler** anat. organ. anditus]1]. **Idem** capit. sel. otolog. [3]. **Schoenlein** physiol. org. nerv. [2]. **Bunge**, exercit. ophthal. [2].	**Knoblauch** usum instrum comp. [3]. **Kuehn** sem. scient. nat. [2]. **Haym** exerc. philos [1]. **Kraus** dem. system. [1]. **Idem** exerc. phytot. **Idem** sem. bot. **Conrad** sem. oecon.-polit. et statist. **Grenacher** de stud. av. [1]. **Suchier** sem. Rom. [2]. **Wuest** excurs. techn. **a Fritsch** excurs. geogn. **Oberbeck** exerc. in laborat. phys. [4]. **Krohn** Plat. Phaed. **Glogau** Kant. Krit. d. r. Vern. **Brauns** palaeont. [4]. **Bartholomae** script. palaeoind. [2]. **Baumert** de antisept. [1]. **Idem** introd. in chem. stud. [2]. **Neumann** exerc. hist. [2] **Aue** Sherid. [2]. **Heyer** demonstr. oecon. et hort. [1].

Index domorum, in quibus habitandi copia a civibus huius urbis facta est commilitonibus, cum pretiis habitationum apud actuarium universitatis O. Nittritz in aedibus administrationi rerum academicarum destinatis inspici potest.


3 0112 023715516